


DIOECESANA SYNODUS ASCULANA

CONSTITUTIONES SYNODALES ASCULANÆ

Sanctiss. in Christo Patri ac Domino, Domino Nostro

ALEXANDRO

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VIII.

DICATÆ

A JOSEPHO SALUSTIO FADULFO

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo, & Principe Asculano.

Habitæ in sua prima Diœcesana Synodo sub diebus 12. 13. 14. *Septembris Anni* 1688. *in Cathedrali Ecclesia Asculana*.

ET SUB INCLYTO SANCTITATIS SUÆ AUSPICIO.

In Diœcesanorum Asculanorum felicitatem Typis cusæ, ac evulgatæ.

IN PRIMO SUI PONTIFICATUS OPTIMI EXORDIO.





ROMÆ, Ex Typographia Jo. Jacobi Komarek MDCXC.

SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO,

AC BEATISSIMO PATRI,

Ac Domino Noſtro

ALEXANDRO OCTAVO

SUMMO PONTIFICI.

JOSEPH SALUSTIUS FADULFUS

Epiſcopus Aſculanus.

QUAS pro duarum Eccleſiarum gregibus continendis Sacrorum Jurium Conſtitutiones comparavi, & Clero dum præfui Amerino, vel nuper Aſculano, utriſque ſy-

nodicè congregatis evulgare curaveram sub Innocentio XI. haustis laticibus ex fonte luculentissimò sanctionum eruditissimi Præsulis Antonii Mariæ Gratiani Amerinorum Episcopi, vel à Te laudatissimi, necnon plurium Insignioris Ecclesiæ Asculanæ Præsulum, nempè ex Petri Camajani, Cardinalis Hieronymi Bernerii, Sigismundi Donati, ac Julii Cardinalis Gabriellii, & Philippi de Montibus meorum Prædecessorum legibus, modo felici omine sub ipso initio exaltationis Tuæ BEATISSIME PATER *ad Supremum Vaticani Solium in lucem edi, ac pro observatione apud*

om-

omnes Diœcesis meæ fines publicari contingit. Justum enim erat, ut qui sub faustissimo luminis Tui Ascendente prognatus eram, dum Patriis meis Interamnatibus Naartibus laribus gubernandis splendidissimè præeras, & Tui Patrocinii rore, ac radiis in Ecclesiæ Viridario educatus, ac fotus, in Ecclesiasticæ Dignitatis plantam excreveram, Tibi, qui cultorum omnium Princeps es, ac Dominus, fructus redderem honoris, ac honestatis, ut ita siquidem Justitiæ, ac Sanctitatis Tuæ authoritate, ac exemplo conditos, singuli qui Gregis mei sunt jucundos habeant, ac saluta-

res.

res . Ne dedignetur igitur SANCTITAS TUA *libellum mearum Synodalium constitutionum , quæ Sacrorum Canonum succum continent salutarem Pontificio Tuo nomine decorari ; Nil enim aliud quam quod Pontificiæ consonum sit rationi in eo profiteor contineri . Quod si jis dogmatum , & sensuum alimentis , qui commissum mihi gregem implent pasti saturabuntur , videbunt etiam , rudes , ac steriles Montanæ Diœcesis meæ plagas dare duplicato cum fœnore messem . Ut sic æternis commeatibus Aquila biceps in Tuo stegmate ostensa nobis ab illo , qui Cœli volatilia cognoscit ,*

& pul-

& pulcritudinem agrorum facit, Æternæ beatitatis Orientem, Occidentemque terrarum connectat, candida priùs inter utrasque contendentium Principum partes colligante fasce Pacem: Ita Maximus ALEXANDER *suo Authoritatis, & sagacitatis gladio implicitos, indissolubilesque plusquam gordios disrumpens nexus, amico fœdere, in unum militantes in hoc sæculi bello congeret, ut subactis Inferis, fugatisque errorum omnium larvis, Te Pastore, Te Duce, cuncti Sanctissimæ Crucis gloriemur Triumpho. Faxit Deus* BEATISSIME PATER, *ut sicut in Te velut in Fidei Petra*

tota

tota consistit Ecclesiæ firmitas, ita Te Deus Optimus Maximus diutissimè pro suæ Reipublicæ Orthodoxæ bono servet incolumem, & Tuis Sanctissimis pedibus oscula cum corde obsequentissimè figo.

ORATIO SYNODALIS

Habita in Prima die Synodalis Conventus 12. *Septembris* 1688.

A JOSEPHO SALUSTIO FADULFO EPISCOPO.


V AM inveſtigabiles ſunt Viæ Domini, & quam incomprehenſibilia Judicia ejus fratres Cariſſimi. En jam tertio elapſo anno, quo ab Amerina in hanc inſigniorem traductum ſpeculam ſuſtinetis me, cum tandem apparente Domini nutu omnes in hac die unanimi conſenſione pro ejus Altiſſimi nominis Gloria coaleſcimus, & qui per diſſita terrarum prædia diviſim acervum facere contendebamus, modo acervatim omnes in Domino convenientes, Charitatis ejus dulcedine ſuperfuſi verbo Virtutis ejus cum Dei, noſtrum, & Proximorum dilectione conglutinamur, quaſi Divini Numinis flamma exæſtuante colliqueſcant corda noſtra, & novam Divi-

næ gratiæ formam Sancti Spiritus impressione sint receptura. Id quidem feliciter ominor Dilectissimi, qui gaudium meum, & Corona estis, si Superni Spiritus virtute flante, ille succendatur in cordibus nostris charitatis ignis, qui veteris hominis Æneam formam consumens, illam in novum hominem in Justitia, & Sanctitate veritatis refundat, ut omnes sicut jam parvuli effecti, & quasi modo geniti Infantes, sine dolo lac concupiscentes ab uberibus matris vestræ jucundanter enutriri, ac satiari studeatis. Ita si quidem bene haustæ Doctrinæ verbum Dei intra vos retinentes, quasi non effractę, non perforatæ, aut non rimatæ hidriæ, sed firmiter super fidei petra, & fundamento Sanctorum ædificatæ aquas de fontibus Salvatoris in salutem gentium haurietis, videbitque populus, & pusilli pariter videbunt, quod non effodistis cisternas dissipatas, sed quod universo gregi aquarum salientium in vitam æternam uberem comparastis irrigationem. Tali etenim sorte postquam Apostolorum succendit pectora venientis Paracliti flamma, novi plasmatis forma super inducta, senserunt & illi primi nascentis Ecclesiæ

Isaia c.66.

Cant. Isaia cap.12.

clesiæ Proceres, ad aquæ vivæ fontem appulsi, quod Spiritus Domini non minus ferebatur super aquas, ac si orbem uniuersum incremento inundantium gratiarum in baptismate esset immensurus, quam si flammarum in medio renovationis, & instaurationis vim, & virtutem enutriret. Idem Ecclesiæ nostræ columen, & Pater *Emygdius* una cum pluribus suis sociis inter quos *Benedictus*, cujus hodie sacra lypsana, tamquam mæritorum partes in hoc corpus, pia omnium vestrum veneratione redegimus, speciosis Euangelizantium gressibus adimplerunt, & concepto Divini Spiritus ardore, refusis ante pectoribus, ut nova evaderent Divinorum carismatum continentia, si receperunt & dona, ea etiam, quæ gratis acceperunt, indesinenter in salutem gentium reddiderunt. Quibus factum est, ut ex primo Picentium Christicolarum corpore terni diffluerent cælestis Sapientiæ aquarum fontes ad irrigandum læta cosperfæ fidei sata in virentibus Ecclesiæ campis apud Marsos, Samnites, Præcutinos, Umbros, & qua circum Picenos ipsos Adriatici maris ora præcingunt, unde quam plures diversarum

Ex S. Greg. Nazianz.

urbium, & oppidorum gentes, ac Populi de maxima eorum gloria, quam intra se fidei incremento sumpsere, nostræ huic sunt Sanctæ Ecclesiæ debitores, à qua Spiritu Sancto fæcundante lac primum fidei suxerunt. Ex eadem sacra vena scatentes quam plures alii hujus per venerabilis Apostolatus Successores, tamquam filii Sion incliti, & amicti auro primo acceptum unde biberant verbum vitæ intra se continentes, & fidei Doctrinam fermentati per universam Ecclesiam erumpere visi sunt, Claudius etenim post *Emygdium* totius tunc Picenæ nationis Episcopatum nactus, Ariminensi Concilio cum Apostolicis legatis à secretis interfuit, & sua industria lapsus reparavit Ursacii, & Valentis Arianorum, & Lucentius Asculanorum Episcopus magni Leonis legatione clarus in Calcedonensi Concilio Eutichen, & Dioscorum hereticos, à Catholicorum cætu secernendo, res fidei, pia Catholici pectoris lustratione magnificavit.

Quintianus itidem, & Episanius, ambo clarissima Sanctæ hujus Ecclesiæ luminaria, Primus Antiochensis Cathedræ ex Gnasseo. Ortam pessundationem scripto fortiter reparavit.

ravit.

ravit, alter Sanctissimi Pontificis Agapiti legatus, Ecclesiasticas res pene collapsas in Oriente provide restituit. Inde septuaginta, & ultra alii hujus pariter Ecclesiæ Rectores, & Præsules ornatissimi, inter quos multi etiam Vaticani Purpura, ac Diademate decorati, quorum ope speciosa, & maxima in Rempublicam orthodoxam orta beneficia Ecclesiæ ipsi Asculanæ, & Romanæ quoque Summorum Pontificum Sedi splendorẽ gloriæ, & Sanctitatis incrementa dederunt. Quæ cum ita sint Auditores non est opus cur vobis ipse recenseam quot etiam, quantique hujus matris filii ex ejus uberum fonte fortes effecti, ideoque in Patres universarum gentium dati, & Principes super omnem terram constituti, ingentem nominis sui memoriam, & gloriam effecerint, satis enim superque notoria est fama Sanctitatis, & doctrinæ Nicolai IV, & Sixti V Summorum Pontificum, ut alios taceam, qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Antistites præclarissimi ubique gentium Sanctitatis gloria, doctrina, ac virtute præfulserunt, & adhuc effulgent, sed ut à vobis metipsis, quæ à majoribus vestris habuit ea-

dem, & majora Divinus Pater incrementa pro suæ familiæ bono reposcat, & capiat nobis summopere cordi est, Dilectissimi. Quare modo sic unanimiter omnes in Domino congregati è somno otii nostri expergefacti super nos ipsos festinanter evigilemus, & Ecclesiæ nostræ dogmata, & Patrum nostrorum Doctrinas, ac traditiones accipientes, in illas tamquam in speculum oculos nostræ mentis attente coniiciamus, non Auditores tantum verbi, ut vultum nativitatis nostræ consideremus, & abeamus, & obliviscamur, sed ut in perfecta lege permanentes, factores operis evadamus, ut ait Apostolus.

Ex ep. S. Iacobi Ap. c. 1. & 6.

Ep. ad Rom. ap. 2.

Urget enim presentis temporis ratio, ut non solum vel in nobis, vel in commisso nobis grege, quæ disrupta sunt alligemus, & quæ sunt effossa consolidemus, imó quod omnem rugam, maculamque à nobis metipsis igne Sancti Spiritus *absumentes*, inde ab omni incursione sæcularis habitus aquis Sapientiæ abluamur, & emundemur. Id quidem Dilectissimi non minus exposcere videntur ea, quæ nuper à Domini Victrice dextera facta audistis maxima cum hostium Chri-

Ezech. c. 34. & hom. S. Io. Chris. c. 39. in Ioan.

Chriſti dejectione in ejus Sanctæ fidei gloriam apud complures nationes, & regna, quam expoſceré videantur Invidiſſimi Tartarorum Principis aſtus, & virulenta dogmatum tela, quibus ille ad enervandum fidei vigorem, meliorem partem Catholici gregis inficere, licet incaſſum, Deo reſiſtente, conatus eſt. At cum Divina Bonitas fideles ſuos roboratura eos ad aquas ſalutares appellere benigne curaverit; vos omnes qui illorum militum Gedeonis ad inſtar arrecto poplite adverſus ſæculi blandimenta ſtatis, prætioſis, aureiſque utentes modo crateribus illa libare cæleſtis Doctrinæ dogmata ne deſinatis, quæ in Pietate, moribus, ac zelo è Romana ſpecula præfulgentis Supremi Antiſtitis Divinus nobis oſtendit Præſignator; Ita ſi quidem corde roborati ſcuto fidei, & ſapientiæ galea muniti, & nequiſſimi hoſtis tela retundere, & totius Inferni conatus refringere tuto ſpes erit. Fortiter ergo, viriliterque agite Dilectiſſimi, & tamquam adlecti milites, & fideles inventi, ſacris clangentes tubis, & orationum vocibus Domino conclamantes, lagenaſque aquarum cum lampadibus, hoc eſt Dei gratiam

ad Ephes. 6.

cum

cum exemplo bonorum operum in manibus gestantes castra vitiorum evertite, & fidei lumine, & beneficarum aquarum pia lustratione Ecclesiæ campos recreate, ut tandem ultra Iordanis regiones hostibus fugatis, hoc est intra gratiæ fluenta, ubi æternæ gloriæ serta virescunt universo fidelium grege composito, nos quoque victoriæ palmis redimiti, in montem Sanctum Sion ad nuptiales dapes Agni, qui fons, & origo Bonitatis, ac lucerna Splendoris est cum Triumpho Sanctorum ascendamus.

Imprimatur,
Si videbitur Reverendiss. P. Sac. Apost. Pal. Mag.

Ioseph Stephanus Menattus Episcopus Cyrenen. Vicesger.

Imprimatur,
Fr. Franciscus Maria Forlani Reverendiss. P. F. Thomæ Mariæ Ferrari Sac. Ap. Pal. Mag. Soc. Ord. Præd.

IN-

INDEX
Titulorum, & Capitum Afculanæ Synodi.

Cap.

Cap.

Cap.

DIOE-

DIOECESANA SYNODUS ASCULANA.

CAPUT PRIMUM.

De Catholicæ Fidei Professione, & ejus tuendæ cura.



QUONIAM in omnibus ab illo nobis initium sumere satagendum, in quo, & vivimus, movemur, & sumus, & in iis præcipuè, quæ circa leges ejus, qui jussit, mandata sua custodiri nimìs, adversùs spirituales nequitias, mundique illecebras, scutum fidei, & galeam salutis accipere, ante omnia sit curandum. Nos quoque majorum nostrorum, & Sacrorum Conciliorum exempla secuti, in Domino, & in potentia virtutis ejus confortati, ab ejusdem fidei professione nostri hujus Synodalis conventus initium sumere debemus, ut ita super ædificati in monte Æternitatis Sancto, qui est fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipse summus angularis lapis Christus Iesus, ejus, quam corde gerimus, fidem ore prædicemus, eumque coram hominibus confiteamur,

Act. Apostol. cap. 17.

Ephes. 6.

Ephes. 2.

cui cùm Præsule, & Tutelari nostro Beato Emygdio, firmiter in omnibus adhærere ejus precibus, & intercessione donetur. Omnes igitur unanimes in Domino sic congregati, fidem Catholicam, quam Sancta Ecclesia Romana veritatis magistra profitetur, & colit, ex formula in Constitutione fel. record. Pii Papæ Quarti præscripta, in hac prima nostra Diœcesana Synodo, vera, constantique cordis sinceritate profiteamur.

Const. 89.
S. Trid. Syn. sess. 25. c. 2.

F O R M A

Professionis Fidei.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet. Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram Salutem descendit de Cœlis, Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo Factus Est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus,

ſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas; Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxtà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta novæ legis, à IESU Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre; Et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine Sacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, &

cui cùm Præsule,& Tutelari nostro Beato Emygdio, firmiter in omnibus adhærere ejus precibus, & intercessione donetur. Omnes igitur unanimes in Domino sic congregati, fidem Catholicam, quam Sancta Ecclesia Romana veritatis magistra profitetur, & colit, ex formula in Constitutione fel.record. Pii Papæ Quarti præscripta, in hac prima nostra Diœcesana Synodo, vera, constantique cordis sinceritate profiteamur.

Const.89.

S.Trid. Syn. sess.25.c.2.

F O R M A

Professionis Fidei.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet. Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium,& invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram Salutem descendit de Cœlis, Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo Factus Est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, pas-

ſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas; Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxtà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta novæ legis, à Iesu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre; Et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine Sacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, &

approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de Justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro Vivis, & Defunctis; Atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, & realitèr, & substantialiter Corpus, & Sangvinem, una cum anima, & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fieríque conversionem totius substantiæ Panis in Corpus, & totius substantiæ Vini in Sangvinem, quam Conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: Similiter & Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas; firmissimè assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè Salutarem esse affirmo. Sanctam, Catho-

Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cœtera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor. Simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque, ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & Anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & Anathematizo. Hanc veram, Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Prætetea sanctè promitto, & juro, me etiam observaturum Constitutionem fel.record. Alexandri Papæ Septimi Confirmativam, & declarativam alterius Constitutionis fœlicis pariter recordationis Innocentii Papæ X. qua damnatæ sunt quinque propositiones excerptæ ex Libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est Augustinus. Item Decreta, quibus reprobata sunt aliæ propositiones sub Innocentio XI. cum reprobis dogmatibus Mi-

chaelis

chaelis de Molinos. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Eandem fidei professionem emittere prestò, ac solliciti sint omnes provisi, curam animarum habentes, & qui beneficia Ecclesiastica, quocunque titulo nuncupata, etiam simplicia, obtinuerint, sub pœnis in Constitutione Pii Papæ Quarti contentis, necnon omnes, qui Canonicatum, ac Dignitatem, vel in ipsa Cathedrali nostra Ecclesia, vel in Collegiatis obtinuerint, atque hi quidem, non apud Nos solùm, aut Vicarium nostrum, sed etiam apud Capitulum profiteantur, sub pœna amissionis omnium fructuum.

Concionatores paritèr, tàm Sæculares, quàm Regulares, Sacerdotes omnes ad audiendas Confessiones, etiam Monialium addicti, necnon Vicarii foranei, Procuratores fiscales, & Cancellarii Curię Ecclesiasticæ, Magistri Grammatices, Medicinam, Chirurgiam profitentes, & alii bonarum artium, professores ad propria obeunda munera nullatenus admittantur, nisi præuia fidei orthodoxæ professione, & absque ea admissi, & ad docendi, legendique opus addicti, tàm Laici, quàm Ecclesiastici, infra mensem à præsentium Constitutionum publicatione, huic satisfaciant præcepto; quòd si secùs fecerint, ab eorundem munerum exercitio, ex nunc censeantur interdicti, aliisque gravioribus pœnis, arbitrio nostro, plectantur, & Parochi interim, nomina eorum, qui in propria Paræcia degunt, Epi-

scopo

ſcopo deferant, & in futurum omnes profitentes intra menſem in Cancellaria noſtræ Curiæ Epiſcopalis, de emiſſa profeſſione adnotare ſe faciant in libro ad hoc deputato, ſub pœna trium aureorum, in pios uſus erogan.

Conc. Provi. Mediol. p. 1. de Prof. fid.

Ut autem Catholica fides eo modo, quo ab Eccleſiæ claritate per Baptiſmi fluenta, noſtra in corda defluxit, pura, & illibata conſervetur, omni hæreticali expulſa fœditate; nemo audeat hæreticos, vel Schiſmaticos, aut quovis modo de hæreſi ſuſpectos, non ſolùm domi recipere, verùm etiam, & cum eis conſuetudinem, & ſocietatem habere, ſub pœnis in Sacris Canonibus, & Bulla Cœnæ conſtitutis.

Cap. ſicut ait 8. & c. excõmunicamus. 13. credentes de baret. ac c. quicunque. 2. eodem tit. in 6.

Nemo pariter, noſtra in hac Diœceſi, præſumat, contra ejuſdem fidei pręcepta, diſputationes aliquas, dubitationeſque de ea movere; & qui ſecus fecerit, in hæreſis judicio accerſatur, & Parochorum in id cura excubet, ne qua pravæ opinionis labes ſuorum animis impingatur, & ne quis liber vetitus, maliſque compactus Dogmatibus circumferatur, habeaturque, & ſi quem deprehenderint, aut ullius hæreticæ pravitatis ſuſpicione aſperſum ſenſerint, ad Nos, aut Vicarium noſtrum ſtatim deferant, idem facere alios quoque jubeant.

Cùm autem prædicta denunciandi obligatione, omnes Chriſtifideles utriuſque ſexus, cujuſcunque gradus, & conditionis ſint æquè arctentur; Parochi, & Curati omnes, ſingulis annis in prima Dominica

minica

minica Adventus, & Quadragesimæ, Sacræ Inquisitionis Edictum, in calce harum Constitutionum apponendum, cùm frequentior aderit populi Conventus, inter Missarum solemnia promulgare, ac distinctiùs etiam explicare prò rudiorum instructione teneantur.

CAPUT II.

De Verbi Dei prædicatione.

PRædicationis munus, in quo gregem suum pascere Pastorum ipse summus Salvator noster instituit, summa, & maxima res est in Ecclesia Dei; & licèt propriè Episcopis gravissima hæc demandata sit cura, tamen vel cum eam, ubique per semetipsos, exercere non possint, vel aliis ipsi detineantur in animarum regimine solicitudinibus occupati, aliis doctis, & probis virtute viris suas delegare partes solent: Caveant propterea locorum Universitates, ne tales sibi vices arrogare præsumant, sed in talibus viris eligendis, approbandisque, unius Episcopi judicium, arbitriumque attendendum esse solummodò, edicimus; Quod si fortè aliquibus Universitatibus, seù locis, Collegiis, seù Sodalitatibus, & personis quibuscunque, ex consuetudine legitimè præscripta, nominandi, & præsentandi, Episcopo Concionatorem jus competat, eo casu in eorum litteris patentalibus utantur verbis,

bis, præſentamus, & nominamus, non autem eligimus, & deputamus, taleſque litteræ præſentatæ Nobis ante feſtum Epiphaniæ Domini noſtri Iesu Chriſti ad publicum documentum nominationis in in Cancellaria Epiſcopali remaneant, & nominati, Epiſcopales litteras, gratìs expediendas, recipiant, mentione in eiſdem facta, ſe à Communitatibus, aliiſque locis, ſeù perſonis, quibus tale jus competat, nominatos, & præſentatos fuiſſe, & hac forma in poſterum ſuper hac re procedi mandamus.

Ex Dec. Sac. Conc. die Maÿ 1668.

Item nec licere dicimus, vel Regularibus ipſis in ſuis, alieniſque Eccleſiis Epiſcopo renuente, ex Tridentinæ Synodi præſcripto concionari, & niſi venia, & benedictione ab eodem petita, & accepta, habita priùs tamen ab eorum Superioribus permiſſione, quod magis habere locum declaramus, ſi in Eccleſiis, aut ad crates Monaſteriorum Sanctimonialium, licèt eorum juriſdictioni ſubiectarum, ac januis clauſis, Conciones habere voluerint:

Cap. excommunicamus, §. qui verò de hæret. Leo X. in Concil. Lateran. ult. ſeſs. 11. in Bull. Conſt. 21. §. 3. Supernæ. Trid. Synod. ſeſſ. 5. de Reform. c. 10. & ſeſs. 24. c. 4. Greg. XV. Conſt. 12. Clem. X. Cōſtit. 7.

Eos verò, quibus, vel tale munus à Nobis fuerit demandatum, vel proprium eſt, & peculiariter incumbit, ſi fuerint Parochi, vehementer in Domino omnes monemus, & ſub Divini Judicii obteſtatione interpellamus, ac requirimus, ut priùs ex animo forma facti gregis opere, & exemplo, in verbo prædicent, doceant ea, quæ omnibus ſcire neceſſarium eſt ad ſalutem, necnon vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, cum brevitate, & facilitate exponant ad Sac. Concil. Trident. præſcri-

Trid. Synod. Refor. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 5.

ptum; arbitrio nostro pœnas subituri, si vel in minimo circa tale Sacrosanctum ministerii opus defecerint.

Concil. Mediol. p. 1. Parochos verò monitos esse volumus, eorum onus esse in quocunque anni tempore, oves sibi creditas cœlesti doctrinæ pabulo recreare, ideoque crebrò curent inter Missarum celebrationem, sive ex Sancto Evangelio, sive ex aliis, quæ ex Missa leguntur, aliquid Populo exponere, & salutares aquas, quæ ipsis Sacris lectionibus uberrimè scatent, in arida eorum corda providè infundere, ut divini amoris fructus, & proferant, & producant.

At Concionatores omnes, antequàm prædicationem ipsis creditam exercere incipiant, vel pro Quadragesimali tempore, sive pro festis diebus, in Adventu Domini, nobis, vel nostro Vicario Generali, omninò se præsentent, opportuna monita circa ministerium exercendum, nec non post fidei professionem emissam, facultatem pro audiendis Confessionibus, prævio examine, si id expedire censebitur, accepturi.

1. ad Corint. cap. 2. Et cùm verbum Divinum, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, Apostolo sic aiente, consistat: iidem sacri eloquii satores, animo serio recolentes injuncti oneris gravitatem, ita se gerant, ut temporali stipendio nullatenùs inhiantes, animarum saluti, se tantummodò intentos esse ostendant, cunctasque regiones, ad quas eorum clamor pervenerit, bona-

rum

rum virtutum fragrantia repleant, & verbum veritatis, Christumque Crucifixum prædicantes, in omnibus ostendant, se ejusdem Christi ministros, & Dispensatores ministeriorum esse Dei, ac subinde studeant cohortationibus, & monitionibus suis, uniuscuiusque statum, officiumque complecti, loquentes quæ decent sanam doctrinam, senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, juvenes ut majoribus assurgant, venerantesque illorum sint; filiis obsequium, Parentibus charitatem, diligentiamque præcipiant, qua tenentur, liberos bonis moribus instruere, in viam mandatorum Dei dirigere, & ad Parochos doctrina Christiana erudiendos mittere; servos, ut fideles sint, moneant, & Dominos in servos humanos; uxores comitatem, obedientiam, amorem in viros, atque hos parem animum, benignitatemque mutuam doceant, mulieres non vaniloquas esse, non vanitati, fucisque addictas præcipiant, vetentque illis in sumptuosos, & inanes luxus, non solùm eorum opera, sed patrimonia, tempus, & animas usque in exitium æternum turpiter perdere; Vitia omnia generaliter repræhendant, eaque præsertim, quæ ex Parochorum relatione frequentiora, & manifestiora esse noverint in locis, ubi concionantur; nominatìm quenquam ignominia, aut reprehensione notare, aut designare omninò caveant, ne in Principem, aut Magistratum, ne in Episcopum, neuè in Ecclesiasticum ordinem ullum invehantur; dum enim quidam Satyram

2. ad Timot. *ad Cor.*

Ad Tit. c. 2.

exercendo, iniquorum auribus placere student; pessimarum opinionnm semina jaci ab se non intelligunt. A fabulosis, inutilibus, & jocosis quæstionibus, & sermonibus abstineant, sicut, & ab apocryphis historiis, ac miraculorum non approbatorum narratione, spissas, ac explicatu difficiles materias ne tractent, sed scholis eas reseruent, & ne turpis lucri gratia docentes sese ostendant, eleemosynas pro pauperibus commendatas, suas facere non audeant, nec ullo pacto absque nostra, aut Vicarii nostri Generalis licentia, Indulgentias populo publicent. Demùm non incumbant in verba inanitèr picta, & veluti fucis illita, sed ut illa gravitate, ac Dei spiritu sint plena, prout decet esse sermonem Dei, qui est penetrabilior omni gladio ancipiti. De cætero seruent enixè, quæ circa prædicationis officium, non solùm à Sacris Oecumenicis Synodis, & præsertim Lateranensi ultima, & Tridentina decreta fuerunt, sed quæ à Prædecessoribus nostris etiam ordinata sunt.

Concil. Mediol. p. 1.

Noctu Conciones, cœtusque haberi prorsùs vetamus, etiamsi sit feria quinta, aut sexta majoris Hebdomadæ, quibus neque antè ortum, neque post occasum Solis Concio de Passione Domini habeatur, & adeo stupendi operis actio nullo visibilis rei spectaculo repræsentetur, nisi per Crucis, & imaginis Christi Cruci affixi ostensionem, ne tunc tàm seria mysteria excitatione risus in plebe modo aliquo offendantur.

Et

Et ne ulli unquam ex nostris illud improperari contingat: Vos ex Deo non estis, quia verba Dei non auditis, eos idcircò magnoperè hortamur; atque monemus, ut per dies illos, quibus in Quadragesima, Adventu, Dominicis, aliisque festis diebus per annum, sive per Concionatores, sive per Parochos sermo Divinus in Ecclesiis habebitur, eas alacri animi devotione, & voluntate frequentent, salubria salutis Dogmata sumpturi, ut exinde ad modum aquæ salientis in vitam æternam, effici purificarique mereantur. Quapropter, ut omnibus occasio removeatur sæcularibus negociis implicari; monemus, & in Domino ortamur, ac in quantum possumus Pastorali Charitate, & authoritate jubemus, in illo tempore, quo Concio solet haberi, ut qualecunque fori judicium non perstrepet, neque reddatur, & mercatores, Artificesque omnes suas Apothecas claudant; & à propriis cessent exercitiis, ut & ipsi cum propria familia, ac famulis sacris rebus erudiri non desinant. *Ioan. 8.* *Trid. Synod. sess. 24. de Reform. c. 4. §. moneantur.*

Parentibus etiam, & Dominis, ut filios, & servos in re tàm utili, exemplo, ac ductu præire, vel etiam trahere studeant, edicimus, ne & ipsi infidelibus deteriores esse taxentur. *Ex ep. Pauli ad Tim. c. 5.*

Clericos item, qui viam cæteris de populo exempli luce debent aperire, & multo magis Canonicos, qui in celsiori dignitatis gradu in candelabro præfulgent, & alios, qui Choro Ecclesiæ adscripti sunt, in Cathedrali Ecclesia, vel aliis Collegiatis, bireto, super-

ſuperpelliceo, ac eorum habitu Canonicali indutos, iiſdem Sacris Concionibus capitulariter intereſſe de more, monemus, quod pariter exequi non omittant Curati in ſuis Eccleſiis Parochialibus, ubi Conciones haberi ſolent, bireto, & ſuperpelliceo induti, cùm Cappellanis, et Clericis talibus Eccleſiis adſcriptis.

At ne quid aliquo modo Divini Verbi operatio perturbetur, B. Pii V. Conſtitutioni inhærentes, pœnis in ea præſcriptis plecti jubemus, quos invenerimus deliquiſſe in excitando aliquem tumultum, ſtrepitum, atque clamorem, et multò magis eos, qui Sacris abutentes locis, prophanos inibi amores exercere mutuis oculorum coniectibus non verentur, quam ſiquidem peſtem ut extirpemus, jubemus Parochis, ſive aliis Eccleſiarum Rectoribus, ut tales delinquentes quàm diligentiſſimè connotent, et eorum nomina deſcribant, et nobis, ſeu Vicario noſtro Generali deferant, ut pro modo facinoris pœnarum temporalium, ac etiam ſpiritualium ſeveritate puniamus. Nullus de cætero Sacerdos pariter de eo tempore, quo Concio habetur Miſſam celebret, aut aliquod aliud munus obeat, per quod Concionator, et Auditores perturbentur.

Et cum Epiſcopum ipſum concionari continget, juxtà ſancita per Clementem V. in Viennenſi Concilio, nemini liceat, nec ulli ex Regularibus in Civitate, et Diſtrictu Parochiarum eiuſdem, eodem tempore concionari: ad audiendam ſiquidem Paſtoris

ſtoris

ſtoris ſui vocem, Populus congregari, cogique debet, et quoad hoc, ritus præſcripti in Cæremoniali ſerventur.

Eos verò, qui ad virtutum culturam, Pœnitentiæ lacrymis proceſſerunt, redeuntes cum exultatione portantes manipulos ſuos, et videre, et amplecti, conveniens, æquumque eſt. Idcircò decernimus, ut omnes Concionatores, qui in Diœceſi noſtra in Quadrageſimali tempore prædicaverint, iterum coram nobis ſe præſentent, ut ea referant, quæ ad morum reformationem, et ad animarum ſalutem conferre crediderint; itemque de iis Nos ſedulò reddant inſtructos, quæ ad ædificationem gentium, Eccleſiæ lucrum, et muneris noſtri ſollicitudinem, judicaverint expedire. Quibus expletis mandatum pro conſueta eleemoſyna illis volumus conſignari, niſi nos aliud permittendi juſtam cauſam habuerimus, ſegnes verò Parochi non ſint Nobis referre, an expectationi noſtræ reſponderit talium noſtrorum Concionatorum opus, ut eis dignas grates pro modo, quo quiſque ſe geſſerit, ſaltem ſimul corde, et ore rependamus. *Pſal.125.*

Atque ut prædicta omnia Concionatoribus ipſis innoteſcant, curabunt Rectores Eccleſiarum, et Parochi iiſdem exhibere præſentis Capitis Decreta, notulamque caſuum Nobis reſervatorum tradere, ſi facultatem audiendi Sacramentales Confeſſiones ipſi fuerint conſecuti.

CA-

CAPUT III.

De Sacramentis.

SEPTEM Catholicæ Ecclesiæ Sacramenta, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, et matrimonium, aquæ sunt illæ salutares, quæ cum gaudio hauriuntur de fontibus Salvatoris, et fidelium animas peremni gratiarum effusione fœcundant.

Ioan. cap. 12.

Parochi ergo, quibus desuper datum est esse Dispensatores ministeriorum Dei, ignorare Populum ne patiantur, aquam, quæ in Baptismi fonte asseruatur; Item Sacra olea, quæ suis condita loculis cum cura habentur, Sacramenta non esse, sed ex iis Sacramenta confici, Baptismi, Confirmationis, Extremæ Unctionis, eaque tum demum Sacramenti naturam, nomenque acquirere, cum ab eorum Ministro, debita cum forma, et intentione ritè alteri applicantur, Sacramenta enim omnia usu ipso nasci, et eo cessante recedere scimus, Eucharistiæ Sanctissima, ac Divina illa excepta hostia, quæ statim ac ritè consecrata fuerit, ita Sacramentum Corporis, et Sangvinis Christi Domini, concomitante totius Trinitatis essentia, evadit; ut sive condatur, sive fidelibus publicè adoranda pandatur, tandiù; quandiù illæ durabunt species, perseveret.

Cor. cap. 4.

Et quoniam Sancta sanctè tractari, & non nisi

San-

Sanctis præberi, ne indignè missa sint canibus, sit sedulò curandum: Studeant in primis iidem Sacramentorum ministri, ut eorum vita, sic Sanctitatem redoleat, ut quos ad participationem Divinorum munerum traxerint, illa venerantèr, ac debitè appetere addiscant, & subindè in iis ritè, ac recte administrandis, eos maximè ritus, & cæremonias in Diœcesi nostra coli, tenerique volumus, quibus Sancta utitur Romana Ecclesia, & in illis nemo quidquam addere, vel muinuere nec in minimo præsumant.

Cap.23.Syn. Prou.Mediolan.par.2.de gen.Sacram. administr.

Non sinant quemquam ad Sacramentorum susceptionem accedere, qui debitæ venerationis signa non præferat; ideoque gladio succinctum, aut alio armorum genere munitum, nisi illa deponant, jubeant abesse; neque mulieres nisi velato capite, & honestè comptas admittant, eas arcendo, quæ nudatis mammis, meretriciam magis ostendunt vanitatem. Prompta, & parata sit semper Parochorum opera Sacramenta petentibus; idcircò non ludo, non venatione se distrahant, nec asperè, & cum fastidio adeuntes excipiant, & multò minùs molestis verbis repellant, sed cum gaudio, & hilari charitate sese ultrò illis ingerant, & celeri expeditione cæleste ministerium adimpleant, alias eorum villicationis præter rationem strictissimam, quam Deus ipse vindex requiret, in eos, & Nos severa animadversione irruemus.

Porrò pro administratione Sacramentorum

quidquam vel minimum exigant, alias tanquam Simoniaci graviſſimè punientur, & tàm Sacramentalia, quàm Sacramenta, ſub ſeris, & clavibus ita cuſtodiant, ut nemo ad ſcelera, & nefaria exercenda illis uti queat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

Prætereà iidem curent Parochi ſuos greges de dignitate & virtute Sacramentorum ex his, quæ in Romano Cathechiſmo habentur, diligentiùs informare, & non niſi decenti habitu, hoc eſt talari veſte, ſuperpelliceo, & cum ſtola tractare.

CAPUT IV.

De Baptiſmo.

QUIA nullatenùs juſtificationem à peccato originali, niſi per Baptiſmum, vel in ejus voto, fieri poſſe, Sacroſancta Catholica tenet Eccleſia, & ſine quo, velut janua, nemini cœterorum Sacramentorum fructus prodeſſe poteſt, cælorumque aditus reſerari, docente illo Divini numinis oraculo: *D. Io. cap. 3. num. 5.* niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei; idcircò quantò magìs hac ſalutaris remedii reparatione humanum genus in Adæ calamitatem prolapſum indiget, ut inde levetur, tanto cum ardore, ſollicitus eſſe debet ex munere is, ad quem cura pertinet animarum, ſcire cuncta, atque docere,

cere, quæ sunt ad ejusdem Sacramenti necessitatem.

Primum itaque cuncti noverint, naturalem aquam, quæ nunquam, cuique deest, materiam aptam esse hujus Sacramenti, adeò Divina bonitas media salutis nobis in promptu esse voluit; formam verò illis comprehendi verbis: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ quidem verba tunc sunt proferenda cum trina in modum Crucis super caput baptizandi aquæ infusio fit, his autem verbis neque addere quidquam, neque minuere, neque commutare, aut omninò omittere licet, & quamvis quemlibet, sive Sacerdotem, sivè laicum, sivè masculum, sivè fœminam, licèt à Christi nomine, & fide alienum, dum traditam formam, materiamque adhibeat, & ideo mente, atque eo animi decreto faciat, quo Ecclesia facit, idoneum esse ministrum Baptismi, eadem Divina clementia permiserit, ubi necessitas exigit, & periculum; tamen in baptizandis privatè infantibus hìc ordo servetur; Præsente Sacerdote alius non baptizet, & præsentet Clerico, non Laicus, nec præsente viro, fœmina; Statis autem solemnibusque cum cæremoniis nonnisi in Ecclesia à proprio Parocho, vel ab alio Sacerdote, ejus permissu, administretur, & nullatenus in privatis domibus, nisi ex nostra dispensatione ob aliquam justam causam. Quod si fortè infans, ob vitæ periculum, ut supra, fuerit baptizatus, inde si mox evaserit, ad

Clem. unic. de Baptism.

Ecclesiam sollicitè adducatur, ut ibi de more solummodò cæremoniæ, ritusque compleantur; nam semel ministratus Baptismus, ulterius sine sacrilegii, & irregularitatis labe iterari nequit.

At Parochi diligenter inquirere non omittant, cùm ad eorum Ecclesias Infantes deferuntur, ut baptizentur, an domi fuerint baptizati, quod si apud ipsum dubitatio remaneat, an quis vel fuerit, vel non ritè fuerit baptizatus, tunc conditionali hac formula utatur: Si baptizatus es, iterùm non te baptizo, si verò nondùm baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris &c. serveturque etiam in Infantibus expositis, si de eorum baptismate constare nequeat.

Cap. Quæcunque dist. 4. de Consecrat. Caveat omninò Parochus, ne quidquam petat, aut exigere præsumat pro hujus Sacramenti administratione, & si aliquem ejus culpa sine baptismo mortuum esse constiterit, quacunque excusatione non suffragante, deponetur.

Ritus, & cæremoniæ adamussim ex Rituali Romano de hoc Sacramento desumantur, & Sacerdos, qui hoc, & cætera Sacramenta administrat, Sacra Confessione procuratus, & ab omni peccato mortali expiatus existat.

Crismatis oleo, quod eo anno ritè consecratum fuerit, utatur in unctione, nec sinat baptizatis imponi nomina, quæ vel inanium Deorum memoriam, vel Gentilitatem redoleant, sed vel ab Angelis, vel à Sanctis desumpta, baptizato ut cæle-

ste

ſte ſortiri faciant omen, vel ſalubrem, potentemque conſequi tutelam.

Quia verò ut plurimum obſtetrices in periculo vitæ conſtitutos infantes baptizare ſolent; ideò nulla mulier obſtetricis officio ſe audeat exponere, niſi per Parochos approbata, explorata, & diligentèr edocta fuerit baptiſmi formulam, qua obſtetricando, in caſu neceſſitatis uti, validè contingat. Nec illud obſtetrices ignorare Parochus patiatur, fœtum in utero matris adhùc latentem baptizari non poſſe, ſi tamen capite foris extaret, & parturiendi difficultate laboraret mater, pueroque imminens urgeret periculum, non dubitantèr eum baptizent, nec, ſi vixerit iterandum Sacramentum erit; ſecùs ſi membrum aliud emiſſum foret, quod licebit quoque inſtante periculo ſolitis verbis abluere, ſed ſi evaſerit infans, baptizandus iterùm erit cum ea ſcilicèt conditione: Si es baptizatus, ego te iterùm non baptizo, ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c. D.Tho.q.68, art.11.

Item, quia baptizari, niſi vivens, nemo poteſt, ſi pars modò corporis extet, & ignoretur, an extinctus infans in utero ſit, in eo ipſo baptizando membro, quod eminet, ea conditio adhibeatur: Si mortuus non es, ego te baptizo in nomine Patris &c.

Præcipiat quoque obſtetricibus Parochus, ut cùm infantem baptiſmo affecturæ ſunt, curent ſaltèm duos teſtes, ſeù viros, ſeù fœminas præſentes adeſſe. Inſuper moneat eaſdem, ne paſſim baptizandis

pue-

pueris manus admoveant, ſed tantùm cum vitæ periculum ita imminere videtur, vt differri baptiſmum non poſſe exiſtiment; vel tunc meliùs per alium digniorem Miniſtrum, & commodè, ſanèque præſtari.

Et cùm ex antiquo Eccleſiæ inſtituto, Miniſter hujus Sacramenti cum baptizato, ejuſque Patre, & Matre ſpirituali cognatione ligetur, ideò quicunque, ſivè in caſu neceſſitatis, ſivè extrà baptizaverit, de hoc vinculo eſt admonendus. Pater tamen, & Mater baptizantes propriam prolem in mortis articulo, quando non reperitur alius, qui baptizet, nullam contrahunt cognationem, quæ matrimonij uſum impediat.

Cap. Ad limina 30.q.1.

Patrini etiam, qui ſuſcipiunt, & elevant ad baptiſmum infantes, ſpirituale contrahunt ligamen; ideò norint omnes, ſpiritualem cognationem oriri inter baptizatum, & baptizantem, inter ſuſcipientem, & baptizatum, inter baptizantem, Patremque, ac Matrem baptizati, & inter ſuſcipientem, & Patrem, & Matrem baptizati, quæ inter prædictos matrimonia contrahenda impedit, & contracta dirimit; quæ talis ſpiritualis cognatio contrahitur, dùm unda ſalutari abluitur infans, non autem cùm ſolemnes ſupplentur cęremoniæ.

Ad tale Patrinorum munus non plures prò ſingulis admittantur infantibus, ſed unus tantùm, ſivè vir, ſivè fœmina, vel ad ſummum unus, & una. Alii præter deſignatos baptizandum non tangant.

Illi

Illi verò, qui Compatrum, & Commatrum in hac salubri regeneratione, qua renati, & in spem regenerantur æternam, nomen, & affectum sortiuntur, sciant, quod sicuti electi sunt ad tale ministerium, ut non solùm tangant, sed etiam levent, & simul sustineant; ità etiam par illis cura erit suo tempore filios spirituales admonere, ut Christianas virtutes, justitiam, castitatem, & charitatem colant, & in primis religionis Christianæ rudimenta addiscant, si parentum naturalium pueri in eo cura, diligentiaque cessaret. *Ephes. 5.* *cap. Vos ante 105. de Consecrat.*

Qui confirmationis Sacramento aucti non extiterint, item excommunicati, aut aliqua Ecclesiastica censura irretiti, concubinarij, meretrices, manifesti fœneratores, facinorosi, quique eo anno Paschali tempore, vel non Confessi, vel Sanctam Eucharistiam non sumpserint, Christianæ fidei item rudes, & quatuordecim annis minores, Commatres, & Compatres esse non possunt, neque adhoc admittantur onus Monachi, vel alterius Ordinis Religiosi, nec in Sacris Ordinibus ordinati, nisi fortè ex permissu nostro, & quoad Regulares ex facultate etiam eorum Superiorum attributa. Consanguineus etiam, vel affinis suscipere potest, dummodò Pater, vel Mater non sit, Maritus, aut Uxor, vitricus, aut frater, & soror, hos enim satis natura conjunxit. *cap. Vos ante de Consecrat. dist. 4.* *cap. non licet* *c. Monachi de Consecrat. dist. 4.*

Illud postremò Curati sciant, graviter peccare eos, qui diù retinere volunt infantes inter originalis ma-

maculæ venena, sic eos exponendo periculo, adoptionem filiorum Dei, & pignus hæreditatis æternæ non consequendi.

Idcircò monemus ne ultra tres dies infantium recens natorum baptismus differatur; quod si ultrà eundem terminum sinè nostra, aut Vicarii nostri licentia protrahatur, præter alias graves pœnas, ad solutionem decem aureorum, locis piis arbitrio nostro applican. parentes teneri volumus.

Baptismo jam collato non omittant Parochi in Codice ad hoc deputato baptizatorum nomina distinctè referre, item Parentum, Compatrum, atque Commatrum cum explicatione anni, diei, & mensis, quo quisque bapiizatus est, atque item, quo editus in lucem fuerit, & specificent, si ex legitimo (aut secùs) matrimonio, puer sit natus, nisi aut vitandæ infamiæ causa prætermittendum hoc videatur, aut nomina Parentum ignorentur, quod erit notandum.

Hujusmodi verò libri in Archiviis Cathedralis, Collegiatarum, sivè Parochialium, singuli respectivè unoquoque tertio anno reponantur, ut asserventur, pœnis arbitrio nostro infligendis.

Mulieres, ut à recenti partu convaluerint, illud exequi non prætermittant, quod ipsa Virgo puerpera proprio docuit exemplo, purgationis mandatum exequentes in templo se præsentando, cui præcepto in novo Testamento, licet ex obligatione non arctentur, piè tamen, ac religiosè eas facturas esse

sciant,

ſciant, ſi domo egreſſæ, nunquam aliò priùſquam ad Eccleſiam, adeant, ibique, Deo prolis datori, grates humillimas rependant, & à proprio Parocho de more recipiant benedictionem, omni circà tempus vana obſervatione, aut ſuperſtitione rejecta, pœnis arbitrio noſtro infligendis.

Nullus inſuper audeat infantes, qui annum non expleverint ætatis, in lecto ſecum jacentes tenere, ſine cuſtodiæ inſtrumento, ſub excommunicationis pœna; quod ſi ex tali retentione infans ſuffocetur, caſus erit nobis in abſolutione reſervatus, & gravi etiam Pœnitentia plectetur reus,ut aliis exemplo ſit. Et ideò Baptiſmo peracto, Parochi, baptizati Parentes, aut Nutrices, moneant de hujuſmodi Decreto. Baptiſterium, ſivè Baptiſmalis fons, qui nonniſi in Eccleſiis Parochialibus conſiſtere debet, ita nitidè, & decorè ſervetur, ut undiquè Sanctitatem, ac puritatem redoleat, cui proximum ſera cuſtoditum exiſtat Sacrarium pro ablutione Sacrarum rerum.

Item ſi fortè domi, vel alibi ob vitæ periculum Sacramentalis aquæ luſtratione infans aſperſus fuerit, deferentes puerum baptizandum ad Eccleſiam longiùs Urbe ſitam in Diœceſi, habeant ſecùm in via aquam in aliquo vaſe, ne baptiſmi materia deſit in improviſa baptiſmatis neceſſitate.

Soli Parochi, vel ipſorum Vicarii ex noſtra licentia deputati in propria Eccleſia, & ſolos ſibi ſubditos baptizent, niſi aliter neceſſitas cogat, ſine qua

D ne-

necessitate nolumus quempiam aliquando Sacerdotem Regularem baptizare, sæcularem verò, nisi pariter ex necessitate eodem proprio Parocho mandante, & nostra, vel Vicarii Generalis licentia, gravi dumtaxàt causa concedenda, & tunc nullus, ne leve quidem munusculum accipere audeat.

Quod è Sale benedicto, candela, gossipio, alioque tali adhibito in Baptismo superest, caveat Parochus, ne cuiquàm concedat, multò minùs quicquàm ex Sacris oleis, & secundinas, quibus obvolutus natus est puer, videant, ne pari superstitione quis deferat secùm ad Ecclesiam, aut patenter, aut latenter baptizandas, proposita contrafacientibus, servantibus, vendentibus, aut quoquomodo tradentibus dictas secundinas, excommunicationis pœna ipso facto incurrenda nobis reservata.

CAPUT V.

De Confirmationis Sacramento.

QUemadmodùm fidelis in viam Christi per Baptismi Sacramentum est intromissus, ità per Confirmationem ultrò roboratus evadit, quod quidem nisi per Episcopi manus effici potest, nàm sicut in ædificiis extruendis, supremam imponere manum, & laudem reportare, ipsius est operis Directoris, ita hoc Sacramentum, quò veluti ædificium spirituale conficitur, non alterius,

quàm

quam Summi Sacerdotis, ideſt Epiſcopi proprium, & peculiare munus eſſe poteſt.

Materia hujus Sacramenti ex gemino liquore, oleo ſcilicèt, & balſamo conſtat, quod Epiſcopo ſolemni ritu conſecratum Criſma, vocatur, cujus inſtitutum à Chriſto Domino, ipſi Apoſtoli receperunt ex atteſtatu Summi Pontificis Fabiani. Forma verò in illis verbis conſiſtit: Signo te ſigno Crucis, confirmo te Criſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Quotieſcunque verò confirmationis adminiſtrandæ tempus advenerit, quod ſingulis trienniis per Diœceſim noſtram aptum eſſe credimus; Parochi anticipatè Populo denuncient. Confirmandi Criſmate, Fidei rudimenta noſcant, & de hoc diligens fiat à Parochis experientia. Non ſint minores ſeptennio completo, niſi aliàs ex rationabili cauſa duxerimus admittendos. Qui majori ætate fuerint, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, confeſſi, vel ſaltem contriti cùm propoſito quamprimùm confitendi accedant, ut uberiori Spiritus ſancti dono illuſtrari mereantur; & ſi quis fortè, cùm ægrotat, reminiſcatur, ſe confirmatum non eſſe, cupiatquè in vitæ diſcrimine poſitus cum ipſo Chriſtiani militis ſignò decedere, poterit ab Epiſcopo, ut ſibi humiliter impertiatur, rogare; cujus quidem Paſtoris partes erunt, charitate, & humanitate ſimul, & ægrotum inviſere, & rogantem, conceſſione Sacramenti conſolari.

D. Thom. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. ex Aurelian. conc.

De cœtero, qui ad Confirmationis Sacramentum accesserint, ab Ecclesia minimè recedant, nisi postquàm solemnem Episcopi benedictionem acceperint, & descripti per Parochos fuerint, cùm nominibus etiam propriorum parentum, & Patrinorum, ne unquàm aut de susceptione Sacramenti, aut de spirituali cognatione dubitari contingat, & libri exemplum, in Episcopale Archivium referatur.

Quæ de Compatribus, ac de Commatribus, & Parentibus, circà Baptismum suprà sancita sunt, eadem in suscipiendis Confirmandis, observari mandamus, nisi quod unus tantùm pro viro quolibet Compater erit, & una pro qualibet muliere Commater, & fœminæ viris in susceptione Crismatis non commisceantur, sed separatè accedant omnes, modestum habitum, & devotum cultum corporis componentes, præsertim sine crinium crispatione, & cincinnorum delatione sint, quinimmò, & marium etiam frontes à crinium, & capilorum impedimento expediantur, sudor etiam omnium de frontibus abstergatur, ne quid applicando Sacro Crismati impedimentum afferat. Unctione verò secuta, per unum ex Sacerdotibus, ad id constitutis, frons delibuta gossipio, diligenter detergatur, ac prætereà linea fascia, quàm quisque secum afferre debebit frons, locusque signatus obligetur. Nemo tandem ex aliena Diœcesi, nisi proprii Episcopi permissu ad Confirmationem admittatur.

CA-

CAPUT VI.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

CUM in augustissimo hoc Sacramento mirabilium suorum memoriam fecerit Omnipotens, ibidemque non sapientiæ, ac scientiæ tantùm, sed & potestatis, misericordiæ charitatis, ac reliquarum divinarum perfectionum, thesauros omnes congesserit, potiùs ipsum venerari nobis silentio, quàm apto explicare dabitur eloquio; fatendum tamen erit, quod sicut ex omnibus Jesu Christi Domini, ac Salvatoris nostri beneficiis, misteriisque, & adiumentis, quæ ad æternæ vitæ beatitudinem consequendam, nobis reliquit, nullum cùm munere Eucharistiæ, vel dignitate, vel fructu conferendum est; ita nullius sceleris crimen graviori est piaculo luendum, quàm rem non sanctam modò, sed Sanctitatis auctorem continentem, minùs sanctè, minùsque religiosè tractare, nam ut ipse denunciavit Apostolus, judicium sibi manducat, & bibit, qui illud indignè manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini: Et quemadmodum ipse dixit Dominus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die; ita vita perfecta non viuunt, qui tali divinitatis pabulo frequenter non enutriun-

tur.

tur. Quare studiosos summoperè omnes esse volumus ex nostra Diœcesi erga hoc Sanctissimum Sacramentum, & summo ardore animi omnia ea exequi, quæ ad illius cultum, & devotionem augendam, tàm ex Sacris Oecumenicis Conciliis, & Canonibus, quàm in ipsis Antecessorum nostrorum Synodalibus Constitutionibus sunt exarata. Communis omnium fermè gentium, cibus, & potio, Eucharistiæ materia est, panis, scilicet triticeus, & vinum de vite, & licet sive fermentatus, sive azymus panis sit, apta Sacramenti materia fuerit; Catholica tamen Ecclesia Romana à Græcorum ritu in fermentato, abstinet, nec ad Eucharistiæ confectionem alium, quàm azymum panem adhibet, ex ipsa veteris testamenti præfiguratione in azymorum festo contenta, & ex ipso etiam Apostolorum instituto; tum etiam, quia hujus panis mundities, & candor, magis respondet mentis integritati, atque fidei, qua nos ad hoc Sacramentum præparari debemus, quod & Paulus commostravit; dicens: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicuti estis azymi, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Vinum ex vitium fructu, vuisque expressum esse debet, nec aliis liquoribus corruptum, nec in acetum versum esse debet, nec illo admisceri plus æquo aqua debet, adeo ut periculum esse possit, quod in vinum ex quan-

c. Quia corpus 35. et seq. de consecrat. dist. 2.

c. 65. & seq.

Paul. epist. ad Corinth.

quantitate non vertatur; ideo aqua tantum modicissima admisceatur; quod & idem ab ipso Ecclesiæ primordio sancitum est, ex quo vel idem à Domino usurpatum veteres Patres tradidere, vel ex ejus in Cruce pendentis latere lancea transfixo, cum sanguine aquam quoque manasse traditum sit, & propterea illa aquæ admixtione, significare voluit Ecclesia, Christiani Populi cùm Christo auctore, & conditore suo coniunctionem. *Conc. Flor. de Sac. Euch.* *Ex Summ. Pont. Honor.* *Trid. sess. 22. cap. 7.*

Forma hujus Sacramenti præscriptis in augustissima cœna verbis illis continetur, debita intentione prolatis: Hoc est corpus meum; gemina autem in panem vinumque Consecratio Eucharistiæ adhibetur, quamuis utraque unum Sacramentum sit, tum quia sic, Domini passio magis exprimitur, in qua exiisse, & divisum à corpore Sanguinem esse traditur, tùm quia hoc cùm alatur Sacramento Anima; cibo, potuque constare sanè decuit, quibus integrum ipsum quoque Corpus nutritur, & augetur, Ecclesiæ verò auctoritate sancitum, & vetustissima consuetudine receptum est, ut solis Sacerdotibus Sacramentum conficientibus, ipsum sub utraque specie non sumere solum liceat, sed prorsus necessè sit, aliis sub specie panis tantùm ministretur, cujus quidem sanctionis justissimæ apud Ecclesiam causæ fuere, sive ad tollendum effusionis periculum, sive ad revincendam, revellendamque eorum hæresim, qui totum esse in utraque specie Christum negabant, *Trid. sess. 21. cap. 7.*

bant, ſed in altera exangue corpus, in altera ſolùm eſſe ſanguinem ajebant.

Trid. Synod. c. 6. ſeſſ. 22. de ſacr. Miſſæ. cap. & ſi omn. homo, diſt. 2. de conſecr.

Omnes igitur utriuſque ſexus per viſcera miſericordiæ Jesu Chriſti Domini noſtri rogamus, hortamurque enixè, ut ſi non ſingulis Hebdomadis, vel menſibus, quod admodum commendabile videretur, ſaltem, ut præcipuis anni feſtis diebus ex pia devotione, animam hujus tàm ſubſtantialis alimenti egentem recreare ne negligant.

In Paſchate autem in Eccleſiæ præcepto, quod ab Innocentio III. Pont. Max. in Concilio Lateranenſi latum fuit, ſi qui communicari in Parochia propria, Sacramentali Confeſſione priùs adhibità, neglexerit, ab Eccleſiæ Communione privari, & in Eccleſia ſepeliri, nec quidem mortuus debebit. Propria autem Parochia intelligatur ea, ubi quis familiam retinet, quamvis aliquis alibi frequentiùs moraretur, & extra eam niſi ob gravem aliquam neceſſitatem, ex Parochi, aut noſtro permiſſu, nemini Communicari nequaquam liceat, & tunc fidem illius, à quo Sacram ſumpſit Communionem, Curato afferat, quod ſi non fecerit, perindè habeatur, ac ſi rem omiſiſſet. Id quoquè facere teneatur, qui Paſchæ tempore à Diœceſi noſtra abfuerit. Et ut hoc Eccleſiæ præceptum ab omnibus inviolabiliter obſervetur, Parochi infrà Quadrageſimale tempus, ſtatum Animarum ſibi commiſſarum oſtiatim inquirendò, omnium utriuſque ſexus nomina in peculiari libro juxtà præſcriptum Ritualis Ro-

mani

mani describant, illisque deinde tempore Paschali communicatis, schedulam attestationis impressam statim tribuant, quam si cuiquam non communicato temerario ausu aliquis pro talem exculpando tradiderit, pœnam excommunicationis latæ sententiæ Nobis reservatam incurret, quas quidem schedulas, peractis Paschalibus diebus iidem Parochi ab omnibus suæ curæ habitatoribus ostiatim repetant, diligenter adnotando, si defectus, aut fraus aliqua intercesserit, & quem defecisse in adimplemento compererint, eos pluries priuatim, deinde publicè, suppresso tamen nomine, secunda, tertia, & quarta Dominica die post Pascha, demum per citationem ad Ecclesiæ valuas, cùm censurarum comminatione admonebunt, ut Ecclesiasticum hoc præceptum exequantur; Quod si adhuc adimplere distulerint, notam Parochi ad Nos, sive ad Vicarium nostrum Generalem transmittant ante Festum Ascensionis Domini sub arcta suspensionis pœna; ut postea ex nostro, sive ejusdem Vicarii mandato in tertia Pentecostes die, eosdem adhuc contumaces, anathematis mucrone percussos, Populo publicè denuncient, eorumque nomina ad Ecclesiarum valuas affigant. *Excomm. latæ sententiæ.*

Pueros autem, quos in conficiendo animarũ statu in duodecimo constitutos anno, adhuc ad Eucharisticam mensam non admissos inuenerint, super fidei rudimentis priùs examinent, certisque præscriptis

diebus, per singulas Quadragesimæ Hebdomadas, paterno affectu instruant in iis quæ ad fidem, & dignam hujus Augustissimi Sacramenti susceptionem pertinent. Quos verò non capaces esse resciverint, in expeditione retardent, donec idoneos diutina eruditione reddiderint, sed curent, ne ultrà decimum quartum annum ætatis, de hoc pingui salutis epulo iejunent, & instructos in ipsa Parasceve, aut Paschatis die omnes separatim ab aliis, & quidem masculos à fœminis distinctos ad Sacrum Altare pro susceptione Dominici Corporis, promoveant, illisque devota verba faciant, & in gratiarum actiones dirigant pro summo accepto beneficio. Diligenter prætereà Parochi caveant, ne cæteros indiscriminatim ad hæc Sancta Sanctorum recipiant; Sancta enim sanctè, sanctis præbenda sunt, sed omninò repellant publicè excommunicatos, concubinarios, meretrices, blasphemos, maleficos, vsurarios publicos, itemque alios publicè criminosos; eos pariter qui in odio proximi cum scandalo perseverant, necnon Coniuges cohabitare sine causa legitima renuentes, idque donec omnium sit perspecta morum, & vitæ mutatio. Amentes denique, si priùs quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis, hoc Sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus, vel expulsionis. Ità D. Thomas.

c. Qui scelerate 24. de consecrat.

Cùm

Cùm autem corporis etiam mundities, & modesta Christiani hominis compositio, ad reverentiam tanti mysterii requiratur, ne adstantes Angelos dedignari contingat; meminerint idcircò fideles, ut ad Sacram hanc Mensam, quam sive sericis, sive lineis mappis mundissimè paratam volumus, à media nocte jejuni, humiliter genuflexi accedant, & omni deposito armorum genere, viri, mulieresque (si fieri potest) seorsim omni demisso luxu pompaque, Coniugesque vellemus à spiritualibus Patribus reperiri monitos de munditie illa, qua decet ornatos omnes esse ad Sacram Hostiam sumendam accessuros, exemplo Davidis, qui nonnisi professus se jam triduo ab uxore continuisse, ad propositionis panem sumendum admissus non fuit.

1. Cor. 11. & 6. & 7. Conc. Trid. Mediolan. p. 2. de Sacram. Euchar.

1. Re. 21. c. 1. & seq. c. Tribus 23. dist. de consecrat. cap. si homo ibid.

In singulis Diœcesis nostræ Ecclesiis, in quibus, aut debet, aut consuevit, & est permissum à nobis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruari, Tabernaculum perpulchrè ædificatum, & quàm splendidissimè, pro cujusque Ecclesiæ facultatibus, auro cælatum, aut aliquo alio prætioso ornatu speciosum habeatur; idque in majori Altari, nisi justa de causa, nos in alio Ecclesiæ loco præscripserimus detineri; ejusque ostiolum firmissimè sera, & argentea clave debet esse munitum, & intùs undequaque serico panno rubri; seù albi coloris decenter conuestiatur; sitque ibi expansum etiam Corporale, quod sæpiùs in anno permutetur; super quo ipsa Pyxis, seù vas, ubi Hostiæ consecratæ continentur;

reponantur, & præter ipſas Pyxides cùm Hoſtiis; nec reliquiæ, nec Sacra olea, nec quidquam aliud recondatur; extra conopeis ſericis debitè ad ritum Eccleſiaſticum coloratis, pro varietate temporis mutandis, ſuperinduatur; Pyxideſque ipſæ extrinſecus oloſericis Conopeolis albis ad præſcriptum in Viſitatione noſtra velentur.

Quælibet verò Parochialis Eccleſia duas habeat Pyxides argenteas, auro ſaltem intrinſecus illitas, quarum altera minor eſſe poterit pro deferendo infirmis Sacramento, & in ea copia conſecratæ particulæ:inibi detineantur, ut fidelibus communicari volentibus, maximè infirmis, nunquam deſint, ſingulis octo diebus renouandæ, & reliquas, ſi in uſu aliorum aſſumptæ non fuerint, Sacerdos ipſe Sacrificans, ſimul cum fragmentis aſſumat, ne corruptionem aliquam in eis obuenire contingat; Quod ſi diligenter non curaverint illi, ad quos ſpectat, gravi ſciant, ſe à Nobis pœna puniendos.

S. Congr. per Barboſ. deciſ. Apoſt. collect. 335. n. 5. Floſc. Nicolij verbo Parochus n. 19.

Ante Altare Sanctiſſimi hujus Sacramenti diù, noctuque plures, vel ſaltem unus accenſus exiſtat lampas, olivarum liquore alendus, ſumptibus eorum, ad quos ſpectare in Viſitatione recognovimus.

Sodalitates Confratrum ſpecialiter Sanctiſſimi Corporis Chriſti venerationi addictæ, Parochi, qui per Diœceſim nondum in eorum Eccleſiis, juxta noſtrum in Viſitatione præſcriptum, erigi curaverint, ſollicitè eas inſtitui, ac erigi curent, illaſque

etiam

etiam pro Indulgentiarum præmiis consequendis; Archiconfraternitatibus privilegiatis Almæ Urbis aggregari faciant, & jam erectæ, attentæ, diligentesque sint in exequendo propriæ institutionis munere in associando infirmis Viatico, in qualibet hora, sive diei, sive noctis, quod ut facilius sequatur, eligantur de gremio ipsarum Societatum aliquo certo numero præscripti viri, præsignato certo tempore renovandi, qui quoties Eucharistia ad ægrotos deferenda erit, ad pulsum Campanæ convenire, & accensis luminibus deducendi, reducendique & tentorium, seu umbellam ferendi officium præstare teneantur.

Sacerdos verò, cui summoperè cordi esse debet, ne ullus ex Catholicis suæ curæ commissis sine salutaris cibi refectione occumbat; demandato priùs ut ægroti domus, & cubiculum sit aptè compositum, ac dignè mundatum, præparata etiam mensa, decenti mappa, luminibusque ornata; sit superpelliceo, stola alba, tàm in Civitate, quàm in Oppidis, & (ubi fieri potest) pluviali indutus, nudo capite, velo serico ex humeris pendente, Pyxidem decenter contegat, eumque præcedant multi suo ordine, saltem quatuor intorticia, seù faces gerentes, & duo, vel saltem unus cum accensis luminibus in lanternis occlusis, tintinnabulum aliquo pulsante, bursam cum Corporale, aquam benedictam cum aspergillo asportante, cœteris quibuscunque, qui convenerint, vel occursaverint, comitantibus, & ex equis

etiam

etiam proſilientibus, ſi equitando occurrerit, Sacerdotem ipſum in alternatione Canticorũ, & Pſalmorum levaturis, ejuſque rei gratia à Parocho, antequam ab Eccleſia Sanctiſſimum Sacramentũ efferatur populus Campanę majoris ſigno admoneatur, qui quidem Sacerdos ad Eccleſiam reverſus, reportando in Pyxide reliquas Particulas (non enim una tantùm, ſed ſaltem duæ, vel tres Particulæ erunt ferendæ) niſi fortè, vel itineris, vel temporis imminens infortunium aliud ſuaſerit, Indulgentias à Summis Pontificibus conceſſas iis, qui Dominicum corpus fuerint proſecuti, annunciet.

Mediol. p. 2. de Sacram. Euchar.

Capite damnatis Divinum animarum ſolatium in hoc Sacramento non denegetur, Judices proinde, ac Magiſtratus vehementer in Domino rogamus, ut humanæ infirmitatis, & Chriſtianæ humanitatis memores, id JESU Chriſto Domino, qui vitam in cruciatibus pro omnium ſalute profudit, indulgeant, ut ne eodem die, quo Euchariſtiam ſuſceperint, contra ipſos ſupplicium exequi permittant.

Circà reliqua, quæ ad venerationem, cultum, decuſque pertinent hujus Sanctiſſimi Sacramenti, ſtrictè obſerventur omnia, & ſingula in Synodalibus Conſtitutionibus luculenter digeſta per Prædeceſſores noſtros, & quæ per decreta noſtra in Viſitatione præcepimus.

Recurrente autem feria quinta majoris Hebdomadæ, qua Eccleſia, hujus auguſtiſſimi Sacramenti memoriam piè veneratur, obſerventur omnes

exa-

exactè præscripti ritus, tàm quoad Communionem Clericorum, quàm quoad Sepulchra, in quibus recondi debet Hostia Consecrata pro Sacrificio sequentis feriæ sextæ, & Pyxis cum particulis pro infirmis.

Sed quia eo tempore tota in commemoratione Dominicæ Passionis Ecclesia occupatur; ideoquè specificam solemnitatem remittat ad quintam feriam post Octavam Pentecostes; Nos, ne quid minimum Christianæ gratitudinis signum contribuere negligamus, solemnissimam supplicationem ad Cæremonialis præscriptum, non solùm ex nostra Cathedrali per loca solita Civitatis devotissimè frequentari jubemus, verùm etiam per Parochos id fieri præcipimus ubique locorum nostræ Diœcesis: ibique summa pompa, intervenientibus Scholis omnibus Laycorum Confratrum, Regularibus, ac Cœnobitis, Clericis, Presbyterisque omnibus solemnioribus vestibus pro eorum ordine indutis, ac nitidas, & ceræ quantitate munificas faces gerentibus, & Ecclesiæ, & viæ, per quas ornatissima ducetur supplicatio, Aulæis, festisque frondibus decorabuntur, multoque flore sternentur, ac insuper, & telis, alioque congruo operimento tegentur, aliaque omnia in hac parte specificè renovamus, quæ Prædecessores nostri in suis Constitutionibus Synodalibus diligentissimè congesserunt. Inculcantes insuper ubique locorum Sanctissimam Hostiam certis horis per Octavam totam exponi, & præ-

& præcipuè dùm solemniter Divina officia decantabuntur.

Quibus ut Populus frequens intersit; Indulgentias à Summis Pontificibus concessas, Parochi inter Missarum solemnia, Dominica Sanctissimæ Trinitatis publicabunt, & pro singulis Octavæ diebus, alter in uno, alius in altero die, turmatim proprias oves ad Divinum fontem gratiarum appellere curent, ea sub hora, qua & Vesperæ, & Panegyr ipsa recitabuntur.

Paul. IV. cõstit. 1. cap. 1. transiturus, §. 4. Martin. V. constit. 12. Eugen. IV. const. 6. & in Clemen. cap. Christum Dominum de Reliq.

Sacerdotes exponentes Sanctissimum Sacramentum, pedibus Altare non conscendant, sed ita locetur Sacramenti solium, ut ex ipso ultimo, vel alio apposito gradu, illud possit attingi, nisi per partes interiores apparatus commodè, & decorè conscendatur.

Ad arcendas pluvias, aut tempestates, procellasque sedandas, nemo Sacerdos Pixidem ipsam cum Sacramento efferat, sed tantùm Tabernaculum, patefacto ostio; adaperiat, ibique Divinam Majestatem in Sacramento humiliter precetur, ut mala, quæ pro peccatis meremur avertat.

De nocte absque nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia non deferatur, & cum domum infirmi perventum fuerit, duo solùm Clerici accensos cereos, & necessaria ad illius administrationem deferentes, in cubiculum infirmi admittantur, reliquis ad fores expectaturis relictis, sub decem aureorum pœna in pios usus erogan.

CA-

CAPUT VII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SIcuti in Sancto Baptismo regenerationis lavacrum omnibus ex Adam descendentibus est necessarium salutis remedium, ita in peccatorum pelago relapsis, secundam esse tabulam, ut ex naufragio se eximant appositissimè cùm Divo Hieronymo Pœnitentiam esse dicimus, cujus quidem tres sunt partes; Contritio scilicet, Confessio, & Satisfactio, & sicut ex trino fonte omnia peccata emanant, nempè cogitatione, verbo, & opere, sic harum Pœnitentiæ partium, prima Cogitationi, secunda Sermoni, tertia Actioni respondet; quorum actuum prior est Contritio, cujus vis in eo est, ut nos non solùm peccatorum nostrorum pęniteat, sed ex eorum recogitatione summum dolorem capiamus, animoque destinemus, jis in posterum ita abstinere, ut eorum odio, & execratione, parati simus, magis omnia, & quæcunque subire supplicia, ac cruciatus pati, quam Dei nostri jussa violare, & nos novis, mortiferisque peccatis maculare, eo quia summa Bonitas est summæquè amabilis. Quæ contritio, ut effectus est perfectæ in Deum charitatis, & dilectionis, multitudinem peccatorum operientis, ante nos reconciliat Deo, quam Sacramentum ipsum suscipiamus, si tamen illud

Concil. Trid. sess. 14. c. 3.

d. sess. cap. 4.

suscipere ; cum licebit, animo propositum habeamus. Verùm quia pro nostra imbecillitate difficilè est hanc absolutam, perfectamque exequi contritionem, ad attritionis remedium confugimus, & tunc fit, cùm potiùs metu pœnarum à peccandi voluntate declinamus, & ad impetrandam per Sacramentum Pœnitentiæ Dei gratiam præparamur. Ideoque cùm quis, hujus attritionis effectu peccata sua Sacerdoti confessus fuerit, ei, vi, ac potestate Clavium Ecclesiæ à Domino relictarum, delicta, ac scelera omnia remitti, & condonari indubiè credendum est.

Porrò Confessio, quæ Pœnitentiæ altera pars dicitur, est illa nostrarum culparum accusatio, qua nos ipsos, in spiritu humilitatis, & in amaritudine animæ nostræ apud Sacerdotem, quem Judicem à Deo constitutum credimus, cum veniæ fiducia reos nos agimus; id tamen ita faciendum est, ut *Trid. sess. 14. cap. 5.* purè, simpliciterque quidquid, aut mente deliquimus, aut sermone commisimus, aut actione perpetravimus, singillatim explicitum sit, circumstantias illas exprimendo, quæ peccatorum differentiam, & naturam demonstrent, & specificent.

Satisfactio, quæ tertia est Pęnitentiæ pars, tunc impletur, cum pœnam illam spontè subimus, ac persolvimus, à Sacerdote nobis post Confessionem impositam, eo animo, ut nos à patefactis flagitiis in posterum temperemus, cum nullatenùs satisfacere Deo possimus, nisi delinquere desinamus; &

tunc

tunc tali exercitatione quodammodò probati, in gratiam Dei redjisse putare debemus, nàm quæ à nobis cùm Fide, & Charitate fiunt, Deo accepta esse, ejus misericordia suffulti speramus.

Cùm verò non omnibus Sacerdotibus concessa sit jurisdictio hoc Sacramentum ministrandi, præterquàm Pęnitentibus in extremo vitę periculo constitutis; ji ad tale ministerium sunt assumendi, qui vitæ in primis innocentia, morumque integritate, doctrina, scientia, atque usu earum rerum, quæ hujus Sacramenti partes, naturamque attingunt, ornati, præditique sunt, ne in aliquo per imprudentiam, aut inscitiam errent, cum in tantæ rei administratione, & Iudicis circumspectio, & medici quoque experientia requiratur, ut & inter onus, & onus, & inter lepram, & lepram distinguere possint, & quod proximè in illorum animis accedere debet, fides est, & taciturnitas, quarum fines excedere non licet, præscripta transgressoribus Canonicæ severitatis districtione, ut integra semper fiducia Pœnitentibus, maneat inter ebullientis conscientiæ fluctus, exoptatam expiscandi tranquillitatem, corruptisque moribus medelam simul, & exemplar invenire integritatis valeant.

Concil. Trid. sess. 14. c. 1. de Sacramēt. Pœnit. c. omnis de Pœnit. & remiss.

d. cap. omnis.

Ex his quisque fidelium studeat, expertum non minùs, quàm sollicitum eligere Curatorem ad salutiferam propriæ animæ medelam, quem certum, & semper firmum (sicuti plurimum conferret habere) ita volumus, Sanctorum Patrum vestigiis

d. c. Omnis, & cap. inter cunctas de privil. extra omnis de privileg. in 6. §. verùm quia in fine.

inhærendo, ut ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, ei nempè, cui in ſingulis Parochiis cura demandata eſt ſuorum ſubditorum valetudini providere, quiſque teneatur propria peccata confiteri, ſuæque conſcientiæ latebras, & ſinus aperire, ut is, qui proprius conſtitutus Medicus eſt, intelligat quale remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum.

Concil. Lateran. Can. 21.

Igitur licere nemini decernimus pro Paſchali ſatisfactione alium Sacerdotem confitendi cauſa ſua peccata adire, niſi id ei à proprio Parocho ſit ei permiſſum! quare is, qui talem obtinuerit facultatem ejus, cui confeſſus fuerit atteſtationem de Confeſſione ritè facta Parocho teneatur reportare, niſi fortè, prout ei notus eſt, aliter fuerit indultum; eorum verò, quos apud ſe Parochi, pro medendis ſuarum ovium morbis confitendos neceſsè habere duxerint, nomina apud eos, qui in Paſchate tàm in Cathedrali, quàm in aliis Curarum Eccleſiis Sacræ Euchariſtiæ miniſtrationi ſunt deſtinati, deferant, ne ullo pacto eos, Euchariſticæ Menſe participationem abſque legitima Parochorum probatione aſſequi contingat.

Trid. ſeſſ. 23. cap. 15.

Quod verò ad Sacerdotes ſpectat, eſt (Parochis exceptis) ut nemo, ſeù Sæcularis ſit, ſeù Regularis, audeat Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare, niſi fuerit à Nobis approbatus, ſcriptamque à nobis facultatem obtinuerit: quorum quidem Miniſtrorum, ultra Catalogum generalem, penès nos re-

retinendum, *volumus, ut à singulis Vicariis, & Superioribus nomina, & cognomina illorum, qui sub eorum regimine Sacramentales exercent Confessiones, in aliqua tabella scripta loco publico teneantur*. Et cum proprius locus Sacra, Sacramentaque omnia tractandi, atque administrandi sit Ecclesia, prohibemus alibi, & fæminarum maximè, Confessiones audiri, addentes, quod in Ecclesiis ipsis de manè ante ortum Solis, aut post occasum, ne ipsas cujusvis ætatis, & generis ad Confessiones admittant, pęna arbitrio nostro transgressoribus indicta; necessitatem tamen, & ægros, & morbis impeditos semper excipimus; sedes verò, quæ pro tribunali stantibus Sacerdotibus inservire debent, & Confessionales appellantur, saltem duæ, vel plures pro Confessorum, aut Populi numero, singulis in Ecclesiis, parietibus adhærentes hinc indè apertis, conspicuisque locis constituantur, & inter Pœnitentem, & Confessarium lamina stamnea, vel ferrea spissis foraminibus interpuncta interjiciatur, mulieresque nonnisi his Confessionalibus audiantur confitentes, & capite velato.

Porrò devotæ Imagines ob oculis Pœnitentium proponantur affixæ his locis, quibus genuflexi Pœnitentes solent converti. Exemplar verò Bullæ Apostolicæ, quæ in die Cœnæ per Summos Pontifices publicatur, cum notula casuum Ordinario reservatorum, intra ipsam Sedem habeat Confessarius, & in Sacristia Edictum S: Officij, & propositio-

tiones damnatas ab Alexandro VII., & Innocentio XI., quem quidem non solùm decet in prædicto ministerio peragendo, ut se compositum interiùs, exteriùsque demonstret, & superpelliceo, stolaque decoratum, verùm etiam ita charitate refertum omninò se ostendat, ut Doctoris gentium monita se nosse indicet, qui neminem infirmari quin ipse quoque infirmaretur ajebat; explens in hoc peculiare Sacerdotum debitum, qui condolere debent his, qui ignorant, & errant.

Ep. Paul. Ap.

Qui de Animarum salute sollicitus ad audiendas Confessiones deputatur Confessarius, non prætermittat in suo Tribunali cunctis diebus, & præcipuè illis horis, quibus solet esse frequens populi ad Ecclesiam accessus, adeuntes humili forma; & sine armis, Pœnitentes comiter, benignèque accipiens, timidos Pœnitentes confirmet, audaces reprimat, errantes dirigat, tristes consoletur, paternam semper adhibens gravitatem, ac in spiritu lenitatis, & mansuetudinis peccatores suscipiens, ad Pœnitentiam omni verborum suavitate traducat, potiùs quàm exprobrationibus, conviciisque depellat, quod quidem ita faciet, præsertim cùm ignaris, qui se prævio conscientiæ examine non præparaverunt; quare illos diligenter interrogationibus adjuvet, & circumstantias peccatorum examinet, sequentis versus memor.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quandò.

Quos

Quos verò reprehensione dignos esse, compererit, nisi integra Confessione audita, non reprehendat, ne illos ab ulteriori criminum propalatione submoveat, & multò minùs admirationis, vel abominationis signa ostendat, si fortè alia graviora compererit, sed usque ad Confessionis finem cautè dissimulet, & tunc eos tanquam optimus Parens filios, & medicus infirmos, hinc metu pœnarum ad dolorem incitet, hinc magnitudine Divinæ Clementiæ ad mutationem morum, ac melioris vitæ amorem accendat. *d. cap. cum omnis.*

Caveat insuper, ne in examinandis tùm peccatis, tùm eorum circumstantiis, nimis ultrò se ingerat, ut vel scandalum præbeat, vel simplices peccata, quæ nesciunt edoceat, nec criminis socios ab illis ulloque modo exposcet; quin horum nomina reticenda, monebit.

Connaturalem fæminis prolixitatem sermonis à non opportuna, & longiori rerum narratione cohibeat, & relicto verborum ambage, strictim ad necessariam explicationem venire, monebit.

Si difficilis, aut anceps occurrat casus, opportunè capiat Confessor temporis dilationem, ut vel ipse studendo, vel alios consulendo, intelligat, quomodò sese gerere debeat.

Illud etiam nosse oportet, quod per litteras, vel per internuncium non possunt Confessarii à peccatis Sacramentaliter quemquam absolvere sub pęna excommunicationis per Clementem VIII. imposita,

su-

ſuperaddita etiam à nobis temporali ſeveriſſima punitione.

Notum prætereà iliis eſſe debet, quod ſine concubinarum dimiſſione, concubinarios abſolvere non debent, ſicut nec uxores à propriis viris, vel viros ab uxoribus propria culpa ſeorſim commorantes, niſi cohabitare promiſerint. Idem pariter exequi debet cùm Uſurariis, Simoniacis, rerum alienarum, præcipuè bonorum Eccleſiaſticorum, decimarumque uſurpatoribus; Item alienæ bonæ famæ detractoribus, & falſo teſtimonio in proximorum injuriam utentibus, niſi tamen illegitimorum contractuum reſciſſio, & reſtitutio tàm rei, quàm famæ firmetur, atque promittatur; & cùm illis Pęnitentibus, qui undè ſolvere non habent, licèt ſatis eſſe videatur animi, & voluntatis promptitudo, ac promiſſio faciendi, vel cùm vires ſuppetunt, vel cum aliter pro oblata re, Domino ſatisfieri poterit; illi tamen, qui ſolvendo ſunt, ſub ſpe futuræ ſatisfactionis, ultra primam, vel ad ſummum alteram vicem, ſi non in prima, & ſecunda ſponſione id fecerint, non abſolvantur, cum nonniſi per ablati reſtitutionem, peccatum remittatur; excipimus tamen eos, qui gravi, & periculoſo morbo laborarent, quos tamen moneri volumus, & ſi videbitur, adſtringantur, ut idonea promiſſione adhibita, quamprimùm id, quod alienum eſt, reſtituant, ut à peccati occaſione, & vinculo, quàm citiſſimè ſe expediant, & liberent.

Quan-

Quando autem, & restitutionem facere parati sunt confitentes, illamque per ipsummet Confessarium fieri petunt, nullatenùs ipsum reluctari Christiana charitas exposcit, sed ut id minùs cùm omni majori cauthela exequatur, à recipientibus syngrapham eliciat Pœnitenti suo tempore exhibendam.

At si restitutiones fuerint incertis faciendæ, quæ prætereà pauperibus, Ecclesiis, & in pios usus erogari debent, nullatenùs sibimet, *nec ejus Ecclesiæ, seù Conventui* faciendas Confessarius injungat, sed Pœnitentium arbitrio omninò relinquet, ne quis juxtà Apostoli consilium vituperare in hoc audeat ministerium nostrum. Qua de re non solùm eleemosynas ullo pacto absolutionis illatæ beneficium petere Confessariis licebit, imò nec spontè oblatas recipere, nec juxtà confessionale pelviculas locari, aut capsulas poni, quibus conjectæ eleemosynæ excipiantur, omninò prohibemus; quod si quis deprehensus in hoc crimine fuerit, graviter à Nobis etiam excommunicationis pœna punietur.

Pœnitentibus relapsis, aut facilè relapsuris ob occasionem proximam, pœnam in eleemosyna pecuniarum proponere prò qualibet vice, qua peccaverint, sub prætextu eos à peccato retrahendi, non approbamus, imò Confessarios, qui tali medio etiam in eorum commodum utuntur, ita suum ministerium vituperando, vehementer objurgamus, & qui contra hoc Decretum ire præsumpserint, su-

ſpenſi remaneant ab audiendis confeſſionibus, cùm ex determinatione Summi Pontificis Innocentii XI. propè ſexageſimam,& ſeq. Pœnitentibus abſolutionem ſuſpendere debeant; donec ſatis illi emendati appareant, & eleemoſynas dare quibus Pœnitens voluerit ejus arbitrio relinquendum ſit.

Item ſi rem alteri ablatam, aliquis ad Confeſſorem detulerit, caveat ne ille ſibi retineat, ſed aut verò Domino reſtituat, vel ſi ille non extet, in pios uſus per ipſummet convertatur, ſi res non excedat valorem aurei unius, in altero enim caſu applicationem de noſtro conſilio faciendam edicimus, ſub pęna arbitrio noſtro.

Cum intimo animi dolore pluries ad aures noſtras pervenerit, plurimos noſtræ Diœceſis incolas adeò deteſtabili inertiæ vitio laborare, ut prima quoque Chriſtianæ pietatis rudimenta ignorent: Nos tàm pernicioſo morbo occurrere ſatagentes, in Domino non ſolùm Parochis, verùm etiam Confeſſoribus omnibus mandamus, & in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, ut eorum de quibus fortè tale timeri poteſt periculum, ne ullum quidem in confeſſione audiant; quin ipſo ſtatim initio non exquirant an Dominicam orationem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, decemque præcepta Decalogi,& Eccleſiæ didicerint, ſciantq; ea quę recitari ſibi diligenter jubeant,& quos rudes, ignaroſque eorum compererint, paternis, atquè acribus verbis moneant, & hortentur, ut addiſcant,

quin

quin etiam Pœnitentiæ jure id eis, si expedire intellexerint, injungant.

Si verò prima fidei rudimenta, utpotè mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D.N. Jesu Christi culpabiliter ignoraverint, nullo modo absolvant juxtà propositionem 64. damnatam à Sanctissimo D.N. Innocentio Papa Undecimo.

Pueri, qui rationis usu carent, confitendi obligatione non adstringuntur, cùm eo tempore talis illis necessitas currat, quando de salute æterna deliberandi, & bonum, & malum discernendi vim habent, & aliqua delicti conscientia premi incipiunt. Curent autem Parentes, ut eo quoque tempore tali pharmaco salutari uti assuescant, quo potiùs benedictionem, quàm absolutionem accipere possunt. Semel verò quotannis peccata sua confiteri Ecclesiastica lege omnes tenentur; cui præcepto non satisfacere, sinè noxa nemini licet; frequentiùs tamen, & eo crebriùs confiteri peccata debemus, quò faciliùs peccamus, & septies in die, licet justi omnes prolabantur in culpas; aptissimum tamen tempus Jejunii, & Quadragesimale tempus, quibus sanè diebus, & Paschæ, aut Natalis Domini festis instantibus, assidui, solliciti, diligentesque Parochi præcipuè reddantur salutari hoc Sacramento administrando; curentque ut repartitis diebus ad exonerandam conscientiam, ad Ecclesiam veniant tàm Juniores, & Adolescentes, quàm Virgines, & viri, ut & pacatiori animo instruantur de iis, quæ

cap. cum omnis de Pœnit.

ignorant circa salutaria præcepta, & audiantur distinctiùs, & ita quisque consilio, hortatione, aut coërctione juvetur.

Et quia in animarum salutem salubriter institutum est per antiqua Sacrorum Canonum jura, quorum observantiam Beatus Pius V. Sanctissima Constitutione renovavit, ut Medici ad ægrorum curationem vocati, eos ante omnia de Confessione admoneant, si ægri non paruerint, ampliùs ad eos curandos non revertantur, nisi Parochus, quem certiorem medici facere debebunt, aut confessum ægrotum iàm esse, aut confessionis tempus prorogandum illi esse, justis de causis, judicaverit.

Cap. Infirmitas de Penit. et remiss. Pius V. Constit. 3. super gregem Sac. Congreg. Episc. Epist. Enciclica 30. Septēb. 1680.

Nos ut solliciti ordinationem hanc saluberrimam exequamur, & feliciter, sicuti precamur, illud evenire possit ægrotis, quod Dominus in sanatione languidi annunciavit his verbis: Vade, & noli ampliùs peccare, ne quid deteriùs tibi contingat, edicimus, ut ne quis Medicorum, sivè Civitatis, sivè per Diœcesim exercentium, curas audeat infirmorum suscipere, quin apud Nos, aut Vicarium nostrum de observantia prædictæ Constitutionis juraverit, sub pœnis per eundem Pontificem indictis, aliisque etiam pecuniariis nostro arbitrio taxandis.

Caveant insuper Medici, ne quid ægris, quod Christianæ Religionis rationi adversetur, suadeant, atque proponant, nàm si contrà ausos fuisse compertum fuerit, pęnis jisdem, aliisque severiori manu, addita etiam excommunicationis, coercebuntur pęna.

d. c. cùm Infirmitas. Cōc. Later. c. 22.

Ut

Ut autem, quoad fieri potest effrænatorum hominum audaciæ occurratur, & frænum nefariæ peccandi licentiæ injiciatur, antequam Ecclesiasticæ disciplinæ rationem sequamur: hic adnotata criminum genera, casusque Nobis specialiter reservamus, itaut nullo sub prætextu, & sub quovis privilegio aliquem de jis, præterquàm in mortis articulo constitutum; sivè Sæcularis, sivè Regularis Sacerdos sit, absolvere præsumat; sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda privationis beneficiorum, dignitatum, officiorum, & inhabilitatis ad eadem in posterùm obtinenda: super quibus à nemine nisi à Romano Pontifice absolvi, vel dispensari quis possit, eo modo, quo tales pænas inciderit absolvendo à casibus Apostolicæ Sedi reservatis. Et pro absolvendis casibus Nobis reservatis, Confessarii debebunt Pœnitentes ipsos ad Nos remittere, aut si id illi minimè voluerint (nominibus suppressis) facinora ipsa ad Nos referre, & consilio, ac voluntate nostra percepta, tùm demùm Pœnitentia, quam Nos cum illis decreverimus, injuncta; absolutionem impartiri curabunt.

Clem. X. Bulla, quæ incip. Superna. Sac. Congreg. sub Clem. VIII. 1602. sub Paulo V. 1617. sub Urbano VIII. 1628.

Iidem quoque Confessores omnes ultrò non excedant, commutando vota cujuscunque generis, nec cùm incestuosis Conjugatis, quoad debiti petitionem dispensent, sine speciali facultate à Nobis tribuenda ad præscriptum Sac. Conc. Tridentini.

Trid. Synod sess. 14. c. 7.

Item præterquàm in mortis articulo, & ex necessitate absolvere non præsumant socios crimi-

num,

nuin, in specie luxuriæ, etiam non completæ in fraudem reformationis, necnon gravissimi damni illati in bonis fortunæ, & famæ; quorum & ipsi simul cum Pœnitente complices extiterint, pro quibus etiam casibus ademptam esse Confessoribus quibuscumque, tanquam à Nobis non approbatis, omnimodam absolvendi jurisdictionem, edicimus, & declaramus.

Côc. Provinc. Mediol. 7. 11. de Sacramit. Pœnit. versic. qui crim. Bonacç. de Pœnit. Sacram. disp. 5. qu. 7. punct. 5. §. 3. num. 10.

Et sciant etiam Pœnitentes, absolutionem, quam contrà hujusmodi prohibitionem obtinebunt, nullam prorsùs, & invalidam esse.

Casus autem reservati sunt.

1 Blasphemia in Deum, vel B. Virginem, aut alios Sanctos ex prava consuetudine.

2 Abusus Sacramentorum, & Sacramentalium, Maleficia, Divinationes, Incantationes, & Superstitiones cùm expressa Dœmonis invocatione, & etiam tacita, dummodò non sit ignoranter, hoc est post primam monitionem, & absolutionem.

3 Homicidium voluntarium unà cum mandantibus, & consulentibus; Abortus arte studioque procuratus, etiam effectu non secuto, & puerorum suffocatio ex gravi Parentum incuria, ante completum annum, hoc est debitis cauthelis non adhibitis.

4 Juramentum falsum in foro judiciali dictum cum gravi Partis præjudicio.

5 Li-

5 Libellos famosos, aut quid aliud turpe ad opprobrium, vel infamiam alicujus personæ inducendam in locis publicis, aut privatis, formantes; transmittentes, scribentes, circumferentes, publicantes, & scienter affigentes. Idem quo ad Epistolas, & memorialia continentia infamiam contra quoscumque.

6 Concubinarii publici, & Concubinæ, quamvis simul non cohabitent, si per menses saltem quatuor ab hoc crimine se non continuerint, occasione omnino sublata.

7 Bestialitatis peccatum, actus Sodomiticus à masculo consummatus cum masculo, vel etiam cum fœmina, non erit autem reservatio, nisi committentes annum decimum quartum non compleverint.

8 Incestus in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & primò affinitatis, & in cognatione spirituali.

Et in prædictis 7. & 8. locum habeat reservatio etiam quando actus non fit completus in fraudem reservationis.

Quoad Decimas, & Legata pia, Confessarii advertenter se gerant, scire enim debent, quod nisi satisfaciant, cum possint, non sunt absolvendi, imò monendi, ut à censuris caveant.

Quando conceditur facultas absolvendi Conjuges ab incestu proveniente ab affinitate, intelligatur etiam concessa facultas dispensandi ad jus peten-

tendi debitum; & idcircò Confeſſarii illam diſpenſationem expreſsè declarent.

Si quando in ſolemnioribus anni feſtivitatibus, vel aliàs prout in Domino videbitur expedire, Confeſſariis concedimus facultatem abſolvendi à caſibus Nobis reſervatis, conceſſio non intelligatur comprehendere ſecundum, & tertium, neque octavum, quoad inceſtum in primo gradu conſanguinitatis, niſi hoc etiam in ſpecie, & expreſsè ſignificaverimus, quartum verò, & quintum comprehendemus cùm ea conditione, ut præmittatur debita ſatisfactio partis læſæ.

Trid. Synod. ſeſſ. 14. cap. 7. c. ſi Epiſc. de Pœnit. & remiſſ. in 6. c. Paſtoralis de offic. Ordinar.

Quibus ſic decretis, ſancitiſque monemus Confeſſarios alienis Diœceſibus finitimos, ne præſertim alienos ſubditos à caſibus ab illorum Ordinariis reſervatis, licèt in noſtra non ſint, abſolvant, exceptis tamen Peregrinis, qui non in fraudem proprii Ordinarii confugiunt ad alienos; Pari quoque ratione volumus, ut Parochi noſtræ Diœceſis ſuos ſubditos moneant, non poſſe eos à Confeſſariis alterius Diœceſis ſuorum peccatorum Nobis ſpecialiter reſervatorum abſolutionem recipere, ſed Nobis neceſſariò ea confiteri debere.

Oſea 4.

Et cum Confeſſariorum illa etiam præcipua debeat eſſe peritia, niſi velint in ipſis illud verificari; quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, ut Pœnitentiales etiam noſcendo Canones, taliter in alligandis peccatorum vulneribus ſe gerant, ac ſi oleo dulcedinis non ſo-

lùm

lùm utantur, verùm ut etiam in posterùm à peccatorum noxa defendant, eorum quam maxima cura erit, increpationis vino confitentium vulnera mordere, eosque ad illa purganda, tergendaque & pęnitentiæ acrimonia provocent, & inducant, satisfactionemque reatibus congruam, & opportunam antè absolutionem imponant, singulis opponendo vitiis medicamenta virtutum, ita ut claris, & superbis opera præcipiant humilitatis, avaris liberalitatem in pauperes, luxuriosis abstinentiam, & carnis præcipiant macerationes, vigilias, disciplinas, peregrinationes, ne laxius connivendo cum peccatoribus, eorum criminum, & ipsi quoque participent.

c. inter cunctas de privileg. extra Com. in 6. d. c. cum omnis de Pœnit. & remiss.

Pro occultis tamen criminibus, quantumvis gravibus manifesta Pœnitentia non imponatur, publicè verò peccantibus, publica etiam pro facinoris atrocitate pœnitentia imperetur, juxtà sensum Sacræ Occumenicæ Tridentinæ Synodi. Conveniens est enim, ut quorum animos audaciæ, & sceleris exemplo offenderunt, eos emendationis, & pœnitentiæ specimine, ad rectæ mentis consilium revocent, nec Confessorum quisquam publicam hanc pęnitentiam audeat sine nostra auctoritate, & participatione commutare, sub pœnis arbitrio nostro dandis, & si qui erunt, quos ita publicè pœnitere oporteat, Confessores ea de re Nos monere volumus, ut an expediat, illos juxtà Ecclesiæ antiquam consuetudinem in die Cœnæ Domini solemni ritu reconciliari noscatur.

Trid. sess. 24. cap. 8.

H Ab-

Absolutionis formam, quam è Romano Rituali desumptam, communem omnibus Diœcesis nostræ Confessoribus esse statuimus, tamquam ex Tribunali pendentibus, nonnisi quàm sedendo, Pænitentibus genuflexis impartiri monemus, prout ita Confessiones ipsas audire convenit.

Quibus ut supra peractis, ac singulorum peccatorum gravitate, & turpitudine demonstrata: Confessarius Pænitentes à se discedere non sinat, nisi amanter monitos, ipsos, obliterata jam omni culpæ macula, ab æternæ pœnæ periculo, Dei benignitate, & merito profusi pro salute nostra à Jesu Christo Sanguinis, liberatos esse, horteturque ne tali beneficio abutantur; cavere enim debent ab omni reincidentiæ periculo, ut si ejusdem Dei gratia absolutionem obtinuerint, ne audacter velint denuò divinæ bonitatis experimentum facere, nam multi de commissis delictis spatium pœnitendi non habuerunt; Quare cum illis verbis, singulos dimittant, sic salubriter edoctos; Vade in pace, & noli ampliùs peccare.

S. August.

Postremò sub hoc capite illud etiam adijciendum esse duximus, quod si quis Sacerdos audiendis Confessionibus deputatus, Sacrosancto Sacramento Pœnitentiæ sollicitando Pænitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cælesti medico infernalis veneficus, & ex Patre spirituali animarum execrabilis proditor efficiatur, apud se confitētes sollicitando, vel provo-

care

care tentãdo,aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones,seù tractatus habendo, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetrãdo in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante,sive post immediatè, vel occasione, & prætextu Confessionis, etiam Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut in loco quocunque, ubi Sacramentales Confessiones audiuntur simulando Confessiones audire, sive talis Sacerdos sæcularis, seù cujuscunque Ordinis Regularis existat, & talia agere, & perpetrare ausus fuerit, scire debet, se in pænas per Constitutiones Gregorij XV. esse incursum. Et si quis pariter ex prędictis Confessariis in Confessione noverit, aliquos ex Pænitentibus sollicitatos, ut supra extitisse, seriò eos admonere tenetur de obligatione denunciandi hujusmodi Sollicitantes ad Sacrum Inquisitionis Tribunal, cui Nos in hac Civitate, & Diœcesi præsidemus, juxtà dispositionem ejusdem Bullæ, & Sanctæ Inquisitionis prædictæ Decreta; & renuentibus absolutio impartiri non debet; Et ne ullus ab hujusmodi denunciatione abstineatur, commonefaciat Confessarius Pęnitentes, apud prædictum Tribunal, denunciantium honori, pudori, & securitati omnibus rationibus consultum iri. Quod si talis Pęnitens impotentiam habeat accedendi ad tale Tribunal, poterit ipse Confessarius ab eo facultatem suo nomine denunciandi recipere, & tunc in folio totam seriem denunciationis cum expressione nomi-

Dec. S. Cong. sub die 25. Iulij 1624.

num Denunciantis, & Denunciati describat, & Nobis sigillo clausam remittat.

CAPUT VIII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

SIcut clementissimus, ac providissimus Animarum nostrarum Redemptor voluit omni, & quovis tempore illarum indemnitati, & saluti prospectum esse, ita adversus nequissimorum hostium tela, quæ in ultimo mortis agone potentiora sunt, ultimos, ac supremos effundendo conatus, extremæ Unctionis Sacramento, tanquam firmissimo quodam præsidio, fidelibus suis subvenire voluit, & amavit, quare tanquam verè, & propriè Sacramentum novi Testamenti, ipse Dominus noster Iesus Christus instituit, & per Divum Apostolum Jacobum ejus fratrem promulgari, & commendari voluit in Ecclesia illis verbis: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Ex quibus quidem clarè intellexit Ecclesia, materiam oleum esse ex olearum tantùm baccis expressum, & ab Episcopo consecratum. Unctio enim aptissimè Spiritus sancti gratiam; qua invisibiliter ægrotantis anima perungitur, repræsentat; formam verò esse il-

Mart. 6. c. Presbyt. 95. c. 1. §. 1. de Sacram. Vnction.

lam

lam ex his deprecatoriis verbis desumptam: Per istam Sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid oculorum, vel &c. vitio deliquisti: Eadem enim verba admutato tamen nomine membrorum, per illorum singula, nempè oculorum, auricularum, narium, oris, manuum, pedum, & renum sunt repetenda; fæminis tamen, loco renum, propter honestatem, pectus ipsum circa ungetur, Sacerdotumque manus summa, & exteriori parte ungantur, circa quæ, & alia præcisè observentur ea, quæ Rituali Romano expressa sunt. Effectus verò, & hujus Sacramenti fructus, ex iisdem Apostoli verbis apparent, dicentis: Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Primum quidem peccata omnia, & maximè, quæ venialia dicuntur, ejus virtute delentur, languorque animi, morbusque ipse corporum culpa contractus levatur, & interdùm etiam depellitur, si id animæ saluti conferat, peccatorumque omnium reliquiæ tolluntur, cum sit hoc Sacramentum Pęnitentiæ, ipsius, & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pęnitenria esse debet, consumativum:

Trid. Synod. sess. 14. de Sacram. Extrem. Vnct.

Quare, cum omnia Sacramenta piè, ac sanctè suscipienda sint, eò intensiùs in hoc suscipiendo homo componere se debet, quò supremo occasui propior, & Divini Judicii propè Tribunal existit; & quia divinæ gratiæ consequendæ beneficio, nil ultrà obsistit, quàm peccatum, ideò ex Catholicæ Eccle-

siæ

ſiæ inſtituto, ægrotus prius præparari, atque expiari Sacra Confeſſione, & Communione curet; quod ſi ægritudinis ſtatus, ex morbi violentia, id non permittat, adhuc permittitur inungi, ut Divini Spiritus gratia, & animæ ſalus, & corporis, aptius pęnitendi ſpatium prorogetur: Quod ſi ſemel laboranti adhibita unctio hæc ſalutaris fuerit, iterari non debet; Et ſi æger convaluerit, quoties indè in novum vitæ diſcrimen inciderit, toties ei impertiendum hujus Sacramenti ſubſidium erit. Et cum non ſolùm præcipuè Sacerdotum munus ſit hoc Sacramentum miniſtrandi, ſed eorum qui curam habent animarum; iſtorum ita erit adminiſtrare, ut nonniſi in extremo, ac ultimo morbo laborantibus conferant; nàm valentibus, etiam prælium inituris, aut navigationem ſuſcepturis, aut aliud quodvis diſcrimen vitæ adituris, penitùs negatur; & cum ad corporis etiam ſanitatem, hæc ægris adhibeatur unctio, ſupplicium ſubituris, quibus ſpes nulla corporis derelinquitur, denegatur, ſic & pueris, quibus nondum maturus eſt uſus rationis, cum iſtis peccatorum reliquiæ quæ detergantur deſint.

Conc. Tridēt. d. ſeſſ. 14. c. 3. de Sacram. Extre. Vnct. Can. 3. Can. non licet 12. c. 2. in fin. de Sacrament.

Amentes, & furioſi pariter non ungantur, niſi quatenùs recepta interdùm mente, pium hujus Sacramenti deſiderium declaraverint. Porrò advertant Parochi; ut Sacerdotes illi, quibus hoc Sacramentum miniſtrandi cura erit, ut ritus à Romana Eccleſia præſcriptos adhibeant, & in pura lineaque veſte, ſtola à collo pendente, Sacri olei vaſculum de-

deferant, quod serico in sacculo, serica vitta è collo suspensum gerent ante pectus. Comitem saltem unum singuli è Clericis ducant, qui Rituum libellum, vasculumque aliud cum aqua benedicta, & aspergillo ad ægros aspergendum ferat, necnon Crucem sine hasta.

Inter eundum Pœnitentiales Psalmos recitent, aliisque piis precationibus Deum placare studeant, & dum Sacramentum ipsum ministratur, idem facere circumstantes edoceant.

At si Parochus intellexerit, ægrum ita occasum versus propinquari, ut vi morbi, sensus obrui extimeatur, poterit eo tempore, quo Sanctissimam Eucharistiam affert, Sacrum quoque oleum secùm afferre, & post præbitam ægro divinam Hostiam, extremam quoquè unctionem, si res ita postulare visa fuerit, ministrabit. Si æger in ipsa unctione expiret, unctio prætermittatur; si verò graviter dubitatur, an vivus sit, vel mortuus, hac conditione utatur: si es vivus, Per istam Sanctam Unctionem &c. illudque diligenter observetur, ut verba dùm proferuntur, tempore congruo, actui unctionis respondeant, nec unus ungat, & alter verba proferat, & detergat. Et sicuti pro Sanctissima Eucharistia in cubiculo ægrotantis, atque in lecti conspectu mensa concinnè parata esse debet, ita simili utatur, in qua oleum sanctum locet, & in ea ferculum cum gossipio, aut stuppa; qua unctiones abstergantur, item vas cum aqua pro lotione manuum, lin-

teo-

teolum, & panis mica ad detergendos digitos, & cerea facula accensa parentur, quæ omnia ad unctionis functionem congruere videntur, & res, qua in abstergendis singulis membris Sacerdos usus fuerit, operatione peracta, comburatur, & in Sacrarium abjiciatur.

Parochos postremò, cæterosque Sacerdotes ad quos spectat, non solùm declinare hujus Sancti officii laborem nolumus, sed ad id magno cum studio, atque charitate vigilare, nec solùm cum eorum opera exquiritur, præsto adesse, sed sua spontè inquirere, explorare, atque obire, ægrotorum tempora jubemus; Quinimmò ab ipso initio illorum decubitus, ita sollicitos esse monemus, ut frequenter illos visitare non prætermittant, ne ullus absque Sacramentorum auxilio, quantùm fas est, decedat; nam de illorum manibus, illorum sanguis, & anima requiretur, si eorum culpa, & negligentia deperdi contingat. Et Nos condignas pœnas ab illis pro eorum despecto munere singulari exemplo reposcemus.

Illud quoque Parochi non omittant, ut ægrotos moneant, atque disponant aliquem è suis ad Nos mittere, qui Episcopalem benedictionem exposcat, quam Nos juncta facultate, & Indulgentiis per Sanctissimum Dominum Nostrum Innocentium XI. attributis, quocumque tempore (Deo adjuvante) parati sumus impartiri, cum summo studio quæramus nostræ Pastorali sollicitudini commissas oves,

in

in illo periclitantis animæ ultimo conflictu expositas juvare, commissaque ex alto humilitati nostræ virtute in viam beatæ Patriæ eorum gressus dirigere, illisque æternam felicitatem ex animo deprecari.

His peractis non putet Parochus, proprio jam muneri satisfecisse, nàm ut ingravescere morbum intellexerit, infirmum diligenter soletur ad morbi dolores patienter ferendos, & ut bonis temporalibus neglectis, mortis metu abjecto, ad Cœlestem Patriam intendat, spemque suam in salutiferæ Passionis Domini meritis reponat, & Sanctissimum, ac terribile Jesv nomen, cui cœlestium, terrestrium, & Infernorum omne genu flectitur, si ore nequiverit, corde tamen nunquam desinat invocare. Crucis indè præsidium apud Infirmum collocare curabit, eique meditandum, atque amplectendum præbebit, monebitque eos, qui ægroti curationem gerunt, ut laborantem, precibus Deo, ac Sanctis ejus piè commendent, neque tamen omittant alendi, atque curandi corporis diligentiam, sed usque ad extremum vitæ spatium, necessaria suppeditent alimenta. Indè cum propinquæ mortis tempus advenerit, commendationem animæ, superpelliceo, ac stola indutus, ac cereis benedictis accensis exordiatur, ad finem usque prosequendo precationes omnes, quæ Rituum libro continentur, interpositis quandoque jaculatoriis orationibus, ac verbis proprii idiomatis, ad consolandum ægrum in extremo agone constitutum.

Quod si præstitis omnibus jam, & peractis charitatis officiis, nondùm tamen ille expiraverit, diutiùsque mansurus in ea luctatione videbitur, & Parochus ad alia obeunda munera requiretur, tunc poterit alteri Sacerdoti assistendi, ac permanendi in jisdem precationibus, negotium tradere, aut si Sacerdos defuerit, Sodalibus Societatis Corporis Christi, sivè ejus Sodalitatis Confratribus, quorum idem infirmus erit Confrater, poterit commendari, & tunc ipsi ad alia sui officii munera discedere licebit.

Postremò sicuti in nostra Visitatione præcepimus, oleum Sacrum Infirmorum in peculiari fenestrella, quæ clavi obseretur, ab aliis Sacris oleis distinctum asservari volumus, vasculumque argenteum undique detersum, ac perlucidum, nitidumque monemus haberi, ut cum, ut suprà, deferendum erit, nullo modo madidum, & perunctum in sericeum sacculum detrudatur.

CAPUT IX.

De Sacramento Ordinis.

CUnctis hominibus, ac quibuscunque humanis generationibus, quarum mentibus immortalitatis, & Numinis aliqua notitia præluxit, Sacerdotium, & Sacrificium summa fuit in veneratione, atque præstantia, quibus, vel ipsa exculta numina placarentur, vel naturæ Parenti, ac supremo

mo auctori debitum aliquod servitutis, & humilitatis propriæ tributum penderetur. Quare cognitio hæc religiosa, sicuti electis gentibus per veteris Testamenti dispositionem, cum fuerit divinitùs imbuta, ita plenitudine temporis accedente, omnia illa cæremonialia, quæ per Moysen, Aaron, ac Melchisedech quadam figura, ac umbratili caractere designabatur, in JESV CHRISTO Salvatore, & Institutore nostro, qui fuit hostia, & Sacrificium, simulque Pontifex, ac Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, adimpleta, & purificata divinitùs extiterunt.

Ex isto fonte in Apostolos, eorumque Successores collatam in Sacerdotis potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem ejus, & facultatem etiam ligandi, atque solvendi illis commissam esse ex Sacrarum litterarum Doctrina, & Ecclesiæ traditione, omnes orthodoxæ Fidei Doctores ostendunt.

Hinc mirè factum est, ut plures essent administratores in ministerium propter eos, qui hæreditatem salutis capiunt, & sic quemadmodum in terris hierarchicus ordo triumphantis Ecclesiæ repræsentaretur effulgens tanquam Castrorum acies dispositus, & per eum veluti per gradus quosdam, qui in album Clericalis militiæ adscribuntur, ex inferiori gradu ad Sacerdotalis muneris dignitatem, in qua totius rei Ecclesiæ summitas, ac perfectio est, ascendatur, ad dandam scientiam salutis in remissionem peccatorum. H 2 Com-

Clemen. 11. vers. namque de Relig. & vener. Sanct.

Communiorem Ecclesiasticorum sententiam secuti, uno in Ordinis Sacramento, septem distinguimus Ordines, seù gradus, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus, qui quatuor minores Ordines faciunt. Subdiaconatus verò, Diaconatus, & Presbyteratus ternarium, Ordinesque majores efficiunt. Clericalis verò Tonsura initium est, & Janua ad Ordines, & Episcopatus, perfectio, & Summitas Ordinis Sacerdotalis.

Etsi Ordines unum sint Sacramentum Ordinis, quia Ordo nil aliud est, quam signaculum quoddam Ecclesiæ per quod spiritualis potestas traditur ordinato, non tamen una omnium materia est, sed ea est cujusq; ordinis materia, quę unicuiq; ordinãdo pro sui officii ratione traditur exercenda; Ostiariis enim claves Ecclesiæ de Episcopi manu traduntur, ut sciant, eorum esse muneris, domus Dei curam, & custodiam habere, ab ea indignos repellendo, & fores Ecclesiæ statis horis, & temporibus claudendo, & aperiendo.

Lectoribus liber, quo Sacræ Lectiones continentur, traditur, ut in Ecclesia fideles verbi Dei relatores existant. Exorcistis liber consignatur Exorcismorum, ut memoriæ commendent, & addiscant ea Sacra Carmina, execrationesque, quibus nefarii spiritus ab Energumenis, siuè obsessis, auctoritate per eum Ordinem tradita è corporibus exire compelluntur.

Aco-

Acolytis, sivè Ceroferariis cereæ ardentes faculæ dantur; Item urceoli vacui, ut noscant, accendendis Ecclesiæ luminaribus mancipari, simulque ad suggerendum vinum, et aquam in Eucharistiam Sanguinis CHRISTI convertendam:

Ut autem Subdiaconi agnoscant sese jam ingredi in altiores gradus, & majores ordines, Sacerdotioque magis approximari, eis continentiæ perpetuæ lex indicitur, et obligatio imponitur divinum officium recitandi, traditurque illis de manu Ordinantis Sacer Calix, et Patena, et postremò Epistolarum liber, ut eas legendi potestatem habeant in Ecclesia Dei, dum Sacra celebrantur, tàm pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini. *Timoth. 3. Act. 21. c. 7. Subdiac. distinct. 93.*

Diaconis, quos olim Levitas à Tribu Levi, à qua Sacrorum Ministri legebantur, dictos accepimus, Evangeliorum volumen traditur, cum potestate pariter in Ecclesia Dei legendi tàm pro vivis, quàm pro defunctis, facta etiam eis facultate illud Populo explanandi, si absit Episcopus, vel Sacerdos, eorumque munus est Episcopum perpetuò comitari, sivè Sacra faciat, sivè concionetur, sivè Sacramenta ministret, & ob id oculi Episcopi dicuntur.

Sacerdotibus, sive Presbyteris, qui Græca voce, Seniores dicuntur, Sacro oleo perunctis, illorum manibus traditur Calix cùm vino, & Patena cùm hostia, cùm potestate Missas celebrandi, sacrificium-

que

que Deo offerendi tàm pro vivis, quàm pro defunctis, & postremò per manuum impositionem Episcopi, potestas traditur (quæ omnem mortalem exuperat dignitatem remittendi, atque retinendi peccata.

Et quoniam caracteribus tàm sanctis initiandos, oportet magno Ecclesiasticarum rerum experimento esse probatos, & nonnisi, quàm per bene ordinatam trutinam canonicè transire; Idcircò volumus quod appropinquante ordinationum tempore, Edictum proponatur, quo & dies tradendis Ordinibus statuatur, & omnes, qui initiari cupiunt, de his, quæ in rem erunt, admoneantur; Edictique forma ea prorsùs servetur, quam Cancellario nostro manu nostra subscriptam, affigendam tradiderimus.

Sess. 22. de Reform.

Successiuè ad unguem servari mandamus in Diœcesi nostra circa ordinum collationem omnia, quæ à Sacro Tridentino Concilio ordinata sunt; & prima Tonsura initiandi à proprio Parocho bonum suorum morum, ac laudabilis vitæ testimonium afferant, sua nomina fuisse publicè in Ecclesia proposita, neque ullum circa eos impedimentum fuisse detectum, Baptismatis, & Confirmationis susceptæ, & de natalium legitimitate, attestationes habeant; fidei rudimenta optimè calleant, & ad minùs legere, & scribere sciant, juramentumque apud Nos præstent, se in Clericalem album describi curare, ut solummodò Dei seruitio strictiùs manci-

C. 1. de temp. Ord. in 6. & cap. cum contingat extra. de ætat. & qualit.

pen-

pentur, non ut sæculare judicium fugiant.

Ad ordines verò minores transituri, linguam intelligant Latinam, & ultra omnia prædicta, de vita, & moribus à Parocho, sive à Magistro bonum habeant testimonium, itemque primæ Tonsuræ, aut alterius minoris Ordinis suscepti, habitusque Clericalis à se continuò gestati, Sacram Eucharistiam semel saltem in mense sumpsisse, & Ecclesiæ, cui fuerint adscripti frequentiùs deseruisse, fidem, & attestationem non indubiam afferant. Quæ omnia diligenter recognoscenda Examinatoribus, Nobisque exhibeant feria quarta, vel sexta ante ipsam ordinationem, Cancellariusque Curiæ Episcopalis singulorum nomina, cognomina, Patriam, ætatem, titulos, & Ordines ad quos adsciti fuerint in peculiarem librum, ad hunc usum destinatum, & in Cancellaria retinendum, distinctè, diligenterque describat.

Cap. Quando 2. in decret. ex trau. de ref. & qualit.

Cap. Quando C. nullus ordinetur. 14. dist. in fin. dist. 24.

Et cum ibi spiritus Domini, ubi libertas est, planè descendat, Parentes, & alios quoscunque monemus, ne filios, aliosque vi, metuque aut alia priuata ratione inducant, ut Clericatum assumant, nemoque Prima, aut ullo trium inferiorum Ordinum, ut initietur, apud Nos se sistat, qui duodecimum ætatis annum non attigerit, & nullus ante decimum quartum, qui Ostariatu, aut alio minori ordine adornetur.

Subdiaconatum verò nisi qui vigesimum secundum, & qui Diaconatum vigesimum tertium, &

qui

d. sess. 23. de Reform. 12. & seqq. C. in singul. cum seq. dist. 77. cap. generalium de ætat. & qualit. in Clem. c. quicunque. 87. dist.

qui Presbyteratum vigesimum quintum ætatis annum, ut attingat necessè est, & in iis singulis Ordinibus saltem per annum versari, antequàm ad ulteriorem evehatur, nisi aliud Nos judicaverimus, edicimus.

Majores Ordines non omnibus, qui illos expetunt, sed omni bonorum morum, & virturum merito ornatis, probatisque conferri debent, quod ut attentiùs cognoscamus, mandamus omnibus ad Sacra initiari cupientibus, ut per mensem saltèm ante diem ordinationis Nos adeant, deque sua voluntate, & consilio doceant, exposcentibusque Nobis, animi atque ingenii, ejusque rationem reddant, qui neglexerint, sese tum quidem Ordinum aditu exclusos, & in aliud tempus reiectos iri sciant.

Conc. Trid. de Reform. sess. 21. c. 20.

d. Conc. c. 16.

Illorum sanè partes erunt Divini Officii ordinem, & dispositionem noscere. Item ad Nos revelare propria nomina, cognomina, patriam, parentes, & proprii status, qualitatem, ac conditionem, an beneficio, pensionæque aliqua, ut se congruè substentent, potiantur, an verò tantundem Patrimonium habeant, ut eo se possint alere; Ad ejus titulum si ordinari petierint (quod cum valdè perspectum, & valdè examinatum esse debeat, ad omnem excludendam fraudis suspicionem) edicimus, ut sicuti post hac ad tale titulum ordinandi non erunt, nisi tantùm illi quos, & spiritu devotionis accensos, & pro necessitate, seù considerabili utilitate Ecclesiarum nostrarum judicaverimus assumen-

mendos; Ita pari animi attentione, volumus liquidò per acta Cancellariæ nostræ constare, Dominicales ab eorum patrimonio retrahi redditus, qui summam aureorum viginti quatuor in Civitate; et in Opppidis insignioribus integrè adæquent; in Pagis autem, et Villis scutorum decem, et octo, quæ pariter summæ ad minùs erunt attendendæ in iis, qui beneficium, pensionemque Ecclesiasticam dixerint habere.

Etsi quis ad effectuandam piam flagrantis animi intentionem, obtinuerit à Parentibus, sive ab aliis aliquam sibi bonorum fieri donationem: in Instrumentis conficiendis, nostrum volumus Cancellarium, sive in Notarium, quem is deputaverit adhiberi, qui ex fide dignis viris investiget, atque perquirat (interposito etiam iuramento) an ea bona sint, & verè donantis, & ab eo pacificè possideantur: Pari quoque modo investiget, an fructus præscriptum adæquent annuum redditum, & an Donanti alia supersint bona, ad ejus, & familiæ vitæ necessariam substentationem; Donatarium autem juramento spondere volumus, donatum Patrimonium nullo pacto retrocessurum, neque aliter sine nostra licentia remissurum, sive alienaturum, & obligaturum, donec vel beneficium sufficiens adeptus sit, vel aliundè, ex certis redditibus, posse honestè vivere, seque sufficientèr provisum ostendere videatur; quod si aliter factum, dispositumque fuerit,

totum irritum, & nullum esse volumus, atque mandamus.

Item si fructus, & redditus eorundem bonorum Clericis pro Patrimonio donatorum, sivè assignatorum, compertum fuerit, non ab ipsis, sed à Donantibus, & assignantibus percipi, seù jam perceptos fuisse, tunc dicta bona immunitate, aut exemptione aliqua non gaudere debere declaramus, quod tamen liquidò probandum erit, qui talem patrimonii fraudem esse allegaverint.

Sicuti Instrumenta etiam prædicta, nisi fuerint juramento, & obligatione Camerali vallata; nullatenus à Nobis admittentur; Ita apud Nos erunt invalida, donec is qui promoveri cupit, constare fecerit, denunciationes in Ecclesia inter Missarum solemnia per Parochos factas de tali patrimonio cùm expressione bonorum donatorum, seù assignatorum, nullum impedimentum detegisse, illaque esse libera, & nullo fideicommisso, vel aliis obnoxia obligationibus. Quas quidem denunciationes fieri curabunt non solùm tali titulo ordinandi, verùm etiam, & alii omnes super alio beneficiorum quorumcunque, seù pensionum. Quare à Parochis diligentem sedulamque fieri volumus inquisitionem, non solùm super prædictis, sed etiam de vita, & moribus ordinandorum mediis denunciationibus, & quæ resciverint non tantùm in authenticam, publicamque attestationem redigere; verùm etiam

& ad

& ad Nos secretò deferre curabunt.

Regulares ad Sacros Ordines, nisi ad tenorem Constitutionis B. Pii V. non admittantur, & nisi degant in approbatis religionibus, ac professionem emiserint, de qua simul cum litteris sui Superioris, quod nullo sint impedimento irretiti, legitimam ætatem habeant una cùm testificatione Ordinis proximè suscepti, assertorumque plenum, authenticumque afferant testimonium.

Ex aliena Diœcesi ad Ordines suscipiendos aduenientes, litteras ab Episcopo, de cujus ditione fuerint, in publica forma præsentent, ex quibus vitæ probitas, eruditio, ætas, legitimi natales, beneficium seù patrimonium sufficiens, spiritualia exercitia peracta, & alia requisita comprobentur. Qui alibi quidem orti, sed in Diœcesi nostra per decennium domicilium habuerunt, tanquam alii nostri Subditi jus habent in expetendis ordinibus; nec familiares nostri, si extranei fuerint, non ante apud nos aditum ad Ordines suscipiendos esse volumus, quàm si per tres saltem annos nostro non incubuerint famulatui.

Omnes litteræ Dimissoriæ, vel testimoniales, quæ diligentissimè per Vicarium nostrum Generalem, & Examinatores ipsos scrutinandæ erunt, si trium mensium spatium ab illarum Datis effluxerit, Nobis inconsultis non admittantur, & qui acceptis à Nobis Dimissoriis, de alienorum Episcoporum manibus, ad Sacras Ordinationes obtinuerint admitti

mitti, intra mensem à die Collatorum Ordinum in libro Ordinatorum in Cancellaria non minùs describi, quàm coram Nobis præsentari curent, sub pœna suspensionis ab exercitio ordinis suscepti, si præscripto tempore non paruerint.

Cùm autem omnia noscere oporteat impedimenta, quæ Ordinum susceptioni adversantur, non solùm initiaturi omnes, sed Examinatores ipsi moneantur in Edicto Ordinationis, ut Pii II. sextam, & Sixti V. vigesimam nonam Constitutionem legant; Arceantur enim ab Ordinum susceptione.

Vsu rationis carentes.
Illegitimi.
Non Confirmati.
Irregulares.
Simoniaci publici.
Usurarii publici.
Condemnati periurii causa.
Obligati Curiæ.
Infames.
Homicidæ, vel mutilantes, aut qui homicidio, aut mutilationi causam dedere.
Milites qui bello interfuere.
Qui in foro sæculari criminalibus officiis perfuncti, aut subscripserunt, aut interfuerunt actibus, è quibus sangvinis sententia emanavit.

Solem-

Solemniter pœnitentes.
Bigami.
Promoti furtìm, hoc eſt qui ab uno Ordine ad alium, vel extrà tempora, aut non ſeruatis Interſtitiis, vel abſque legitima ætate, vel ſine dimiſſorialibus litteris ordinati.
Ebrietatis, gulæ, ac impudiciæ vitio detenti.
Excommunicati.
Suſpenſi.
Hæretici, & de fide ſuſpecti:
Apoſtatæ.
Neophyti.
A ſpiritibus immundis vexati.
Morbo caduco obnoxii.
Notabiliter deformes, & defectu aliquo corporis manifeſtè notati.
Membris carentes.
Ratiociniis obligati:
Serui, ſive mancipia:
Peregrini ignoti.
Officio aliquo infami, & illicito perfuncti.
Promoti per ſaltum relicto minori ordine, & majori ſuſcepto.

Quos omnes ſic fortè ordinatos, ipſo jure, & ipſo facto ſuſpenſos ab Ordinis ſuſcepti executione eſſe ſciant, quod ſi durante ſuſpenſione in eodem miniſtrare attentaverint, irregularitatem quoque declaramus incurriſſe, ob quam & beneficiis privatos

tos esse, & etiam jure ad Superiores Ordines ascendendi carere, aliisque pœnis arbitrio nostro puniendos esse edicimus, atque sancimus.

Et quoniam eorum, qui tantæ Dignitatis Sacramento initiari cupiunt, interiùs quoque opus est, ut se priùs præparari studeant, hinc est, quod inhærendo Sanctissimi Regnantis D. Nostri votis, sancimus, omnes in futurum promovendos ad Ordines, sivè minores, sivè majores, debere spirituales peragere exercitationes, ad præscriptam Constitutionem Alexandri Papæ VII. quæ incipit, Apostolica sollicitudo; ut sic renovati spiritu, sacra munia (quantum in humanis fas est) dignè obire possint, ac valeant; quas quidem exercitationes, vel pænes Religiosos Societatis Jesu, vel Congregationis Oratorii S.Philippi Nerii in hac nostra Civitate, vel alios Cœnobitas permissu nostro faciendas esse declaramus; Deindè cum par, æqvumque sit, ut specimina ingenii, vitæque habeantur, plurimum in Domino Nobis dilectis (à Synodo aprobandis) Examinatoribus commendatum esse volumus, ut omnem curam, diligentiamqúe ex animo ponant in examinandis, probandisque non solùm illis qui Ordines exposcunt, verùm etiam & iis, quibus Ecclesiastica beneficia danda erunt, & Confessionum audiendarum facultas relaxanda, & committenda. Quod utique fieri volumus expetendo à singulis eas doctrinæ materias, quas juxta ordines, & gradus, & munera singulorũ magis congruere existimabitùr.

Argu-

Argumenta tamen quæstionum, quæ eis proponentur, non ex prophanis Auctoribus, sed Sacris, maximè ex Bibliorum, Canonum, Conciliorum, Oecumenicorum, Pontificiarum Constitutionum, Tridentini Concilii, & Romani Cathechismi libris, quibus Ecclesiasticæ disciplinæ ratio omnis abundè videtur contineri, desumantur; Examen verò pro Confessoribus semel, aut bis singulis mensibus coram Nobis haberi volumus, & pro Ordinibus conferendis, illis diebus, qui in Edictis pro statis temporibus proponentur.

Ep. Sa. Cong. Ep. 9. Octob. 1681.

Memores insuper volumus esse Examinatores prædictos in obeundo munere, jurisjurandi, vinculo, quo se obstringi patientur, statim ac de injuncto sibi onere acceptando fuerint requisiti.

Trid. sess. 24. cap. 18.

Postremò tàm prædictos Examinatores, quàm Ministros, Officiales, familiaresque nostros immunes protinùs esse ab omni avaritiæ non solùm labe, verùm ipsa etiam suspicione volumus; Quare ne aliquid ab Ordinandis accipiant, illis sub gravissima pœnarum præscriptione jubemus

Trid. ibid.

CAPUT X.

De Matrimonio.

EX ipsomet quiescentis Protoparentis latere in illius adjutorium, & in humani generis propagationem Summi rerum omnium Opificis inven-

Gen. 23. Esdræ 5. c. fraternitatis 15. 9. 10. cap. debitum de Bigam. ca. 1. de Coniug. in princip.

Matthæi 19. Marci 10. Cor.6.Ephes. 5. cap. sunt quid 27. q.2. c.fin. 21. q.1. C.de conjun. & affin.

tione matrimonium prodiit efformatum, cujus perpetuum, indissolubilemque nexum, ipsemet primus humani generis Parens, Spiritu afflatus Divino expressit, dum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

C. Martinus de cogn.spir.

C.Deus 331. q.1. c. Puto 12.q.5. inter corpor.transl. Ep. c. nemo in fine. q. 4. Concil.Trid. sess. 24. de matrim.

Quo quidem matrimonii fœdere in plurimas propagata ætates humana progenies, in eam temporis plenitudinem adducta, qua exinanita Dei forma se ineffabiliter humanitati in hypostasim colligavit, ab illo, ex quo cætera Sacramenta sumpsere principium, Conjugium etiam ipsum fuit Sacramenti dignitate decoratum, ut divinorum munerum, & gratiæ Cœlestis virtute, non tàm procreare ex se sobolem homo gauderet, quam illam Deo educare, & patriæ cælestis, plusquam hujusce terrenæ vallis, habitatores propagare, & augere studeret. Et ne Sacratum hoc, & utile vinculum refringi liceret, Sacratissimis ipsius Christi Domini verbis, & auctoritate fuit sancitum, cum dixit: Quos Deus conjunxit, homo non separet. Et eo modo ab Apostolo magnum in Christo, & Ecclesia fuit Sacramentum nuncupatum, quo arctissimæ, & in æternum duraturæ illius conjunctionis, & charitatis necessitudo, quæ inter Christum, & Ecclesiam intercedit, per hanc maris, & fœminæ Sanctam, & indissolubilem conjunctionem declaratur.

Matth.c.19. & Marc. c. 10. Ephes.c.5.

Diversimodè materia, formaque hujus Sacramen-

menti traditur, sed veriorem, aptioremque doctrinam consequi credimus, qui materiam remotiorem ipsos esse sponsos, nulla ad id re præpeditos ajunt, propiorem verò illum consensum, quem alter eorum primus pronunciat, formam autem consensum esse, qui mox ab altero ex contrahentibus affertur, hac enim edita mutuæ consensionis professione, continuò matrimonium existit, cujus quidem efficiendi vis omnis in consensu utriusque sponsi sita est; quæ verò à Sacerdote ex Concilii Tridentini decreto, in Conjugibus benedicendis, verba adhibentur: Ego vos conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & sicuti nullam vim ad matrimonium habent, ita nec formam dare possunt, sed ad id instituta sunt, ut Sacramentum illud ritè, & religiosè peragatur; nam licet matrimonii veri, necessarii, & sine quibus constare Sacramenti ratio non potest, Ministri sint ipsi sponsi; tamen ut ipsi ritè conjugii fœdus inter se inire dicantur, præter eos, Sacerdos, qui benedicendo, beneque precando sponsis adhibetur, pro ministro quoque habetur.

S. Thom. in supple. q.45. art. 2.
Abelly medul. Theol. p. 2. tract. 1. de matrim. c. 8. sect. 2.

Sess. 24. de Reform. c. 1.

Sot. & alij, quos ref. Viuald. in Candel. aureo tit. 17. de Sacr. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 6. d. Sess. 24. de Refor.

Sola igitur animarum conjunctione Sacramentum istud peragitur, at cubando una cocundoque non efficitur matrimonium, sed consumari dicitur, neque minùs matrimonii nexu illi devinciuntur, qui iam concubuerunt, quàm qui Conjugio servato à concubitu abstinent, sicuti intemeratam Dei Genitricem Sancto Josepho viro matrimonio junctam,

 San-

Sancti Patres dixerunt, cùm de puriſſima ejus integritate, ac virginitate, apud Catholicos orthodoxæ Fidei profeſſores dubitare nefas eſſe omninò habeatur.

Ratum, & conſenſu perfectum matrimonium, ita differt ab eo, quod jam concubitu conſumatum dicitur, ut ante coitionem utrique Conjugi liceat à propoſito recedere, etiam renuente altero, ſi religionis honore, & virginitatis voto Eccleſiaſtico ſtatui ſeſe addicere velint; quo facto, & Conjugium diſſolutum remanet, & alteri libera remanet facultas ad alias nuptias tranſeundi, ſed non tali modo procedit, ſi ſimul corpora miſcuerint, cum neque Religionis quidem cauſa matrimonium diſrumpi poſſit, niſi fortè ex mutua amborum voluntate, uterque religionis jugo ſubmitti velit.

Cùm autem obeundis Conjugiis maximè libertati ſit conſulendum, ubi de ejus imminutione periculum eſſe timetur, ut quis, vel reſpectù Parentum, vel ex metu adducatur, non ſinant Parochi diligenter de vera animarum perpenſione, & voluntate inquirere, ut liberum, purumque haurire poſſint aſſenſum, & hac de cauſa certiores quoque reddere contrahentes non deſinant, nullo reſpectu, metuque, aut aliqua alia humana ratione cogi poſſe, quin libere contrahant. Quod quidem opportunè peragant, antequam ad publicas denunciationes veniant, imò ſi qua vel fortè municipali lege, ſtatutoq; libertas ipſa matrimonialis (licet inciden-

ter)

ter) obnubilari cognoscatur, cum Sacrorum Canonum, Conciliorumque placitis, ac decretis ipsę leges abrogatæ, ac nullius roboris, & valoris esse intelligantur, Nos etiam nulla dictarum legum, & statutorum validitate, matrimonii, jura, favores, ac libertates, volumus in hac nostra Diœcesi dicto pacto infringi posse, ac debilitari, auctoritate Sacrorum Canonum roborati.

c. cum locum. c. requisivit, & c. de sponsal. c. final. in fin. 31. q. 2. & cap. fin. 39. q. Trid. sess. 24. c. 19. de ref.

Porrò illud edicere curamus, ut quemadmodum gravi se crimine Parentes obstringunt, qui vel filios invitos matrimonii submittunt jugo, vel ab illo coactè retrahunt, quod præcipuè Tridentina Constitutione prohibetur, ita graviter peccant filii familias si rationabiliter invitis Parentibus, vel eorum consensu non requisito contrahant, licet sciant tali peccato contractum matrimonium liquidò valere.

Petr. de Ledesm. c. 8. de matri. Abell. ubi sup. c. 8. sect. 3. n. 3.

Clàm verò, secretòque, & aliter quam Parocho præsente, & duobus, aut tribus testibus inita matrimonia, cùm omninò nulla, invalidaque comperiantur, & ultimo loco Sacræ Tridentinæ Synodi Constitutionibus omninò sint damnata, non solùm in eo seriò Parochos animadvertere mandamus; verùm etiam Decretum ipsum Tridentinum pluries infra annum suis in Parochiis evulgare, ac explicare volumus, ut ipsæ maximè adolescentulæ virgines illud planè se percipisse norint, ne in fraudem induci, & occultis, & vim nullam habituris nuptiarum sponsionibus, se ad ullam sinant traduci ho-

Conc. Tolet. 2. c. 10. & erubescat 132. Trid. sess. 24. de refor. c. 1.

Trid. sess. 24. de matrim. noris, et pudoris labefactionem. Quod si quis contra sancita à Patribus in Tridentina Synodo Matrimonium furtim injisse compertus fuerit, Parochus ad Nos eorum nomina statim deferat, nec eos indè sine auctoritate nostra jungere audeat, ut priùs de pœna, qua tàm ipsi, quàm testes, qui sine Parocho interfuerunt afficiendi erunt seriò deliberemus.

Et ut scandala, et mala, quæ indè sequi solent opportunè submoveantur, ex ejusdem Concilii *Trid. ibid.* præscripto, antequam ad matrimonii celebrationem deveniatur, trinas denunciationes præmittendas esse edicimus, quæ publicè a proprio contrahentium Parocho sub pœna suspensionis tribus diebus festivis inter Missarum solemnia fient, præhabito ab ipso utriusque sponsi consensu, ne altero invito ipsas denunciationes fieri contingat.

Quod si illi in diversis Parochiis habitare comperiantur, in utraque Ecclesia denunciationes ipsas fieri de more commonemus, nec earum ullam propria auctoritate per Parochos remitti posse sancimus sub eadem suspensionis pœna.

Ad eas verò sine nostra, aut Vicarii Generalis licentia in scriptis obtenta nullum ex Parochis devenire volumus, eosque priùs diligenti perscrutatione cognoscere oportebit, an voluntate Parentum nuptiæ ineantur, deindè an justa utrique sponso sit ætas, duodecimus scilicet annus pro fœmina, ac decimus quartus pro masculo, an advenæ incolævè sint, an prima Christianæ Fidei rudimenta calleant,

re-

rectaquè memoria teneant Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, & præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. Item an eo anno Paschali debito satisfecerint, an Sponsa in Monialium septis educetur, nam nisi ab eis iam recessa sit, ejus promulgari nuptias, sine auctoritate nostra, vetamus.

Exindè proclamato matrimonio, si aliquid impedimenti, vel inter ipsas denunciationes, vel jis etiam peractis, aut junctione eadem secuta, Parochus detexerit, aut aliquo modo, licèt falsò ad eum delatum fuerit, non ultrà sub pœna suspensionis progrediatur, sed Nos consulendi erimus, ut quid de ea re statuendum sit, declaremus, & intereà si jam sese insimul commiscuisse Conjuges resciverit, moneat, gravibusque etiam propositis pœnis præcipiat, ut omni prorsùs consuetudine relicta, separato cubent lecto, donec soluti lege, Apostolica dispensatione omne tollatur impedimentum. *cap. cū inhibitio de clan. desp. desponsa.*

Eadem die, qua denunciationes absolventur, in matrimonium non conjungatur, nisi facultate à Nobis scripto concessa, quam nemini facilè concedemus, nisi justa suadente causa, ac tùm quidem Parochum volumus in ipsa denunciatione populum monere, eadem die, matrimonium esse contrahendum.

Et cum aliquando Nos alia justa ratione suasos; oportebit super eisdem denunciationibus dispensare, ne matrimonium callida alicujus importunitate

im-

c. videtur 13. q. 1. c. Aliter q. 6. c. sponsus 23. et c. sponsus q. 5. c. de Coniug. 17. q. 1.

impediatur, ideoque satis esse in tali casu coram eodem Parocho, & duobus, aut tribus testibus matrimonium firmari, declaramus, denunciationes illas in proximis diebus festivis remitti debere, iisque non peractis concubitum inter Conjuges intercedere, vetamus, etiam sub excommunicationis pœna Nobis reservata, de qua Parochi Contrahentes certiores faciant, ut si qua fortè affinitas, aut aliud ignotum impedimentum reveletur, debitis possit occurri medelis.

Evulgatis verò de more ter sponsorum nominibus, cùm favore matrimonii omnes præcidendas esse moras conveniat, curabit Parochus, ut non diutiùs illius celebratio procrastinetur; Ideò ad ipsas priùs denunciationes non deveniat, quam omnia explanata, & adæquata esse, tàm quoad dotem, quàm quoad cæteras conditiones de plano cognoverit. Ultrà verò mensem differri non patiatur, quo elapso, absque nostra licentia, ad celebrationem non admittat, qua peracta viri sponsas ad domum inter quindecim dies traducant, sub pœnis viginti aureorum in piam causam erogandorum; sicuti etiam sub eadem pœna, aliisque arbitrio nostro infra duos menses post contracta sponsalia, omninò matrimonium celebretur, nisi aliter ex causa fuerit à Nobis scripto indultum, quo tempore durante, plures ad dirimendas malorum causas, districtè mandamus, ut inter sponsos nulla prorsùs conversatio habeatur, sed ea tantùm expleri vrbanitatis officia per-

permittatur, quæ per tres vices de Parochi licentia, Parentibus, aut Consanguineis præsentibus, omnem omninò mali suspicionem excludunt; Pœnam transgressoribus indicentes aureorum viginti pro qualibet vice, imò & pro certæ inobedientiæ dolo, gravioribus mulctis, pœnisque, atque etiam in subsidium excommunicationis pœna illos plectendos esse declarabimus; quo in negocio Parochorum aciem plurimùm attentam volumus, eorumque conscientiam fortissimè oneramus, ad plura evitanda scandala, ut comperto tempus duorum mensium à die initorum sponsalium effluxisse, & adhuc matrimonii celebrationem differri in ejusdem Sacramenti perniciem, statim ad Nos per semetipsos, seù per Epistolam totam rem deferant, ut morosos in executione matrimonii opportunè urgeamus.

Denunciationes autem prædictæ, tamquam non factæ repetantur si intra duos menses post eas factas, neque matrimonia contracta fuerint, neque ordines suscepti, nisi aliter aliquando fieri nos expresè scriptoque concesserimus.

Denunciationibus ritè præmissis, matrimonium ipsum in facie Ecclesiæ ineatur, & nunquam in privatis ullius ædibus, nec omninò alibi, quàm in Ecclesia ipsa, nisi aliter à Nobis, seù Vicario nostro Generali justa aliqua de causa fuerit dispensatum.

Ce-

Celebretur autem ut ſuprà coram Parocho, aut altero Sacerdote ab eo ſubſtituto, & à Nobis in Sacramentorum adminiſtratione approbato, clara jam facta luce; & peracto Sacro, quod propriè pro ſponſis in libro Miſſarum habetur, cui quidem non ſolùm devotè ſponſos intereſſe volumus, ſed ut Conjugium non aliter, quam rem ſanctam religioſè ineant, eos etiam Sacra Communione Dominici corporis refici, ac expiari mandamus. Quibus peractis, ſervatiſque cæteris in Rituali Romano præſcriptis cæremoniis, clarèque ſponſorum elicito conſenſu, jis Parochus de more benedicat, nec ſinat eos abire, quin priùs edoceat ex Romano Cathechiſmo, quanta fide ſit inter eos procedendum, quanto ſtudio, quantaque religione filii in Chriſtiana diſciplina ſint inſtituendi, & quanti nexus ille inter eos indiſſolubilis, ſit habendus, & quàm laudabile eſſet Raphaelis Archangeli conſilium Tobiæ datum ſibi accipere, per primas ſcilicet tres noctes ſoli orationi vacare, & poſteà jungi Virgini ſuæ cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ducti, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequerentur, quod, & olim per Sanctos Patres Chriſti fidelibus præcipiebatur.

c. ſciatur cũ ſeq. 30. c. 4. c. non plures de conſangu. Trid. ſeſſ. 25. de ref. cap. 1. in fin.

Tob. 6. & 8.

Quod ſi aliam anteà benedictionem alterius matrimonii cauſa acceperunt ſponſi, aut alter eorum accepit, non erunt iterum benedicendi, ſed aliis peractis dimittentur: Hiſce verò cauſis cum ad Ec-

cle-

clesiam veniunt, vel ab ea recedunt, eos, nulla musica instrumenta secùm afferre, nullosque comitari cantus, Parochus patiatur.

Caveant insuper Parochi, ne quis eorum inter diversæ Parochiæ sponsos matrimonium celebrent, nisi ultra denunciationes à se factas, ab alterius Parocho authenticam fidem acceperint, ex qua factis per eum evulgationibus, nullum sibi fuisse renunciatum impedimentum constet.

At si quis scienter impedimenta quæcunque, ea non revelaverit, vel ad impediendum, seù retardandum matrimonium, aliqua propemodum falsa effinxerit, aut dolosè denunciaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere, & aliàs insimul pœnas arbitrio nostro dandas, declaramus.

Qua pariter pœna ligari volumus, eos, qui fascinationibus, & veneficiis dediti rem sacrilegam non verentur perpetrari iniqua Cacodęmonum Arte, vel ea aliis quocunque modo uti suadent in Conjugum, sivè quorumcunque aliorum perniciem; itemque eos, qui prædicta, aliavè mala simili veneficiorum, & incantamentorum arte mederi præsumunt:

Et ne audacissimorum hominum licentia non solùm in propriæ salutis, verùm & in damnum ipsius Reipublicæ efferatur, dùm nulla certa Sede vagando, relicta propria uxore, aliàs interdùm incautas sibi adsciscere non verentur. Parochi nullo pacto ad matrimonia contrahenda admittant pere-

Trid. s. ss. 25. de refor. c. 7. Conc. R. m. 8. in fin. s. ss. 15. c. 14. de ref.

grinos, advenas, & quoscunque ignotos diuersæ Diœcesis, nisi habita facultate à Nobis, seù Vicario nostro non solùm jungendi, verùm etiam denunciandi matrimonium, cum exhibitione in actis nostræ Cancellariæ fidei Ordinarii ipsorum vagantium, & Advenarum, in qua quidem constet super tali statu, fuisse ab ipso Ordinario examinatos testes juxtà interrogatoria, & instructionem ultimo loco per Sacram Congregationem Inquisitionis editam die 21. Augusti 1670. sub pœnis contentis in litteris Sacræ ipsius Congregationis.

Append. Syn. Sublac. pag. 262.

Qui verò nefarium facinus committendo, fœminas quascunque rapere non verentur, licet non stupri inferendi, sed justo conjugio sibi sociandi caussam allegent, pro pęna illud sortiantur, ut initum inter ipsos, & raptus matrimonium prorsùs, & sine effectu sit, quandiù illæ in eorum potestate fuerint, & tàm ipsi raptores, quàm auxilium, consiliumque dantes, ipso jure erunt excommunicati, perpetuæ macula infamiæ notati, perpetuoque ab omnibus capiendis honoribus exclusi, at si in eis Clericus fuerit, etiam gradu suo deiciatur, & præter hæc raptor, sivè reposita in libero, tutoque loco muliere, matrimonium sequatur (quod nullo alio modo effectuari potest) sivè rejiciatur, raptæ dotem dare tenebitur in ea summa, quam Judex ipse congruere declarabit.

Trid. vbi supra de refor. c.6. c. fin. de rapt. c. puellis 32. q.1. Côc. Calcedon. c.17. Conc. Veronen. 27. Exo. 21. c.1. de Adulter. c. si quis 2. c. nullus, & c. de puellis, & Trid. vbi supra 36. q. 1. d. c. de puellis c. raptores

Iisdem ut suprà periculis, ac scandalis eliminandis, si quis Peregrinus ignotus in alicujus Parochiam

chiam

chiam advenerit, mulieremque secùm ignotam habeat, quam conjugem dicat, eaque tamen ita vivat, ut suspicionem falsam conjugii præbeat, curent Parochi, ut ab illis sibi fides justi conjugii infra breve tempus exhibeatur, alias pro concubinariis habeantur, & Nos de tota ea re volumus moneri.

Sit quoque Parochis attentissimè commendatum, ac injunctum ut sibi commissum Populum, pręcipuè ruralem sæpissimè moneant, ne aliquis intrà quartum sivè consanguinitatis, sivè affinitatis gradum, matrimonium contrahere, & multò minùs consumare præsumat, sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, Denunciantes etiam quod omni spe dispensationis frustrabuntur, prolesque incestuosa erit, aliisque subiicientur pęnis à jure statutis. Quod si ignoranter ita aliqui contraxerint, statim ac impedimenta fuerint detecta, sub arctissimis pęnis non sinant Parochi illis præcipere, ut omni inter eos conversatione sublata, tandiù separati remaneant, donec Apostolica obtenta dispensatione, ac Nobis constito, quod preces veritati nitantur, omne submoveatur impedimentum.

c. fin. de immun. Eccl. c. quia frustra. de usur. c. fin. de rapt. cap. puellis 32. q. 1.

Quarto, & quinto consanguinitatis, sivè affinitatis gradu distantes, licet nullo teneantur impedimento, cùm remotior gradus attendatur, quin inter ipsos matrimonium fiat; à Nobis tamen licentiam, declarationemque volumus obtineri.

A quibus ut omnis avaritiæ, atque sordium su-

ſpicio removeatur, ſicuti à Nobis, ſi quid muneris ultrò fuerit allatum, omninò reiici debet, ſic à Vicario noſtro, cæteriſque Miniſtris mercedem omnem, etiam labori debitam, quamvis ultrò delatam, volumus dimitti, & tantùm Notario, quod pro examine teſtium æquum, ſuetumque fuerit perſolvi, & cum diſpenſatio, dotis cauſa fuerit impetrata, nempè ut propinquo alicui nubere poſſit, quia æqualem ſibi mulierem inventurus quis non eſſet, tunc ſat erit, ſi ipſo in loco, undè ipſa procedit, ea virorum inopia laborari conſtiterit, ut Epiſcopus diſpenſationem exequi jubeat.

Ne verò matrimonia, quæ ritè inita, junctaque fuerint ullo unquam tempore memoria dilabantur: Parochi omnes in libris ad id ſpecialiter deputatis, nomina, cognomina, Patriam ſponſi, & ſponſæ, annum, menſem, diem, locum matrimonii contracti, nomen ipſius Parochi, aut ejus, qui ſuas explevit vices; & Notarium, ubi is intervenerit, licentiam remiſſarum denunciationum, ac diſpenſationem obtentam tàm à Nobis, quàm à Sede Apoſtolica unà cum gradibus, & cauſis diligenter præcipimus adnotari; dictoſque libros diligenter cuſtodiri, & aſſervari mandamus.

Prætereà cùm jis temporibus quibus Adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac ſalutiferæ Redemptionis myſteria, Eccleſia nobis meditanda proponit, terrenis quoque vacare conſortiis, & cœleſtibus jungi exoptabile videatur, ex antiquo Sacro-

rum

rum Canonum instituto, & ipsius Tridentinæ Synodi sanctione, non licet, à primo ejusdem Adventus die usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum usque ad Octavam Paschæ nuptiarum solemnia celebrare; Ideò qui prædictis non parere contenderit, ab Ecclesiæ aditu ipso facto interdictus habeatur, aliisque pœnis arbitrio nostro mulctetur. *c. non oportet et seq. 33. q. 4 Trid. sess. 24. cap. 10.*

Porrò nec illud ignorari volumus, quod eisdem temporibus non solùm solemnitates nuptiarum, sed & traductiones sponsarum ad domum viri, & consumatio carnalis copulæ prohibentur juxtà declarationem Sacræ Congregationis Concilii. *Fagnan. cap. Capellanus, nu. 11. de feriis in 2. Decretal. in Append. Synod. Subl. p. 271.*

Et quia nullo tempore decet, filios Sanctorum sociari ita matrimonio, sicut cæteræ Gentes, quæ ignorant Deum; Hortamur omnes in Domino, ut ita se habeant in celebratione nuptiarum, ut nihil quod Christianæ modestiæ, ac illis gaudiis, quæ tantùm in Domino vera sunt, ullo pacto adversentur, inànesque expensas, & perniciosos luxus moderari, ac propemodum dimitti exoptamus. *Conc. Tolet. sub Sixto IV. to. 4. Conc. p. 1. pag. 748. vol. 1. Syn. Licien. pag. 195 & 197.*

Demùm cùm matrimonia ritè inita, concubituque firmata dirimi humana ope non possint, nec omninò, nisi morte dissolvi; non enim diuturna, & studio dilata absentia, odium, atque dissidium, violata adulterio fides, hæresis, & desertus Catholicæ pietatis cultus infringendi vim habent hoc matrimoniale vinculum, sed tantummodò hisce, aliisque justis de causis per Nos approbandis, Conjuges

ges ita seponi poterunt, ac sejungi, ut non eodem cubare lecto, non eodem sub tecto habitare cogantur, donec fuerint justarum causarum rationes ipsæ sublatæ.

Attentissimè postremò monitos esse Conjuges volumus, ut mutuò se pro conjugali fide sustineant, & qui lacessiri verbis, aut injuria sentit onerari, *Paul.Epist.* silentio potiùs compescat, quam responsione provocatum confutet.

Nemo nisi ad tempus de utriusque consensu à communi corporum vacet unione, ne alter alteri faciat fornicandi periculum, & peccatum, quod unius fragilitate committitur ab alterius reluctatione cæusentur. Occurrentibus verò infra annum orationibus publicis, solemnitatibus, ac jejuniis à carnalibus inquinamentis, ut abstractam mentis *Paul.Epist.* aciem in cœlestia faciliùs intendant, studeant pro viribus abstinere, in idipsum rursùs ratione cœlestibus roborata pabulis revertentes.

Eos quoquè plurimùm monitos à Parochis oportet, ut unoquoque sua munia subeunte, mutuus amor, crebris benevolentia exerceatur officiis. Vir, quæ necessaria sunt alimenta domus, provida indagatione procuret, & in ea non plùs, quam opus fuerit, expendat, superfluos evitando sumptus imò quod non habet ex redditu, studeat frugalitate supplere, & quò majora sibi videt imminere dispendia, eò magis à sumptibus inutilibus retrahatur.

Psal.1. Uxor, ut sit vitis abundas in lateribus domus suę, gau-

gaudeat videre se, obedientiæ, & modestiæ retinaculo circumligatam, viroque suo hilariter subditam sese resignet, se domi contineat, ab inanibus abhorreat pompis, profusosque limbos, ac nimis fulgidas ne curet vestes, & cætera luxuriei portamenta, honesto in corpore (si cupiat laudari) non admittat, ut insimul matrimonii fructus, in procreatis novellarum palmitibus, superna Cœli, ac terræ benedictione resperfos videat, & se quoque in iis laudari, ac plena felicitatis ubertate, benedici lætetur.

CAPUT XI.

De Sacrificio Missæ.

SIcut Melchisedech, divina præsignante in antiquis benignitate panem, & vinum misticè Altissimo in Sacrificium consecravit; sic etiam Christus Dominus Pontifex in æternum verus secundùm ordinem Melchisedech effectus, Corpus, & Sanguinem suum sub specie panis, & vini in Sacrificium obtulit, cruentam de seipso oblationem pro humani generis reparatione prænotans, itemque discipulis suis, eorumque in Sacerdotio successoribus offerendum tradidit, ut perenniter, ac perpetuò tàm Sacrosancta mysteria recolenda æterno Deo summa pro supremis beneficiis vota rependerent, incruentam continuò hostiam immolando.

Conc. Trid. c. 3. sess. 15. Paul. Ep. ad Heb. Bellarm. lib. 1. de Miss. Clem. 11. in prin. de sum. Trin. & Fid. Cathol.

Concil. Trid. sess. 22. c. 1. & 2. c. 1. c. calicem. c. accipere de consecr. c. iteratur de consecr. 11. dist.

Qua-

Quare Sacerdotes Ecclesiæ auctoritate rite promoti, ipsius Christi vicem, personamque gerentes, divinorum verborum virtute, panis in Corpus, & vini in ipsius Christi Sanguinem transubstantiationem, verè, licet invisibiliter operantur, ac tàm salutaris hostiæ immolatione placatum reddendo Deum, remissionem peccatorum tàm pro vivis, quàm pro defunctis obtinere merentur.

Quorum igitur ita eminet dignitas, ut quod nulli Regum, nulli mortalium competit, eis tàm Sanctum, ac salubre operari Sacrificium concedatur, hos proculdubiò omnem curam, omnemque conatum, studium omne, ac omnem cogitationem sic in eo adhibere oportet, ut tantæ amplitudini, quantùm in ipsis est, sicut Doctrinæ, ac Sapientiæ laude, sic fide, religione, morum Sanctitate, totiusq; vitæ innocentia respondeant. Nihil ideò elatum in iis, nihil vanum, nihil durum, nihil impotens, nihil flagitiosum, nihil sordidum reperiatur, sed in omni actione pietas, gravitas, integritas, charitas, humanitas eluceat, ut eorum exemplo Populi religio potiùs incitetur, & augeatur, quàm eorum improbis moribus remittatur, atque languescat.

Quod licet ita sit eminens hujus oblationis conditio, ut nulla indignitate, ac malitia offerentium inquinari possit, cùm tota ejus ratio virtutis, non ab opere operante, sed ab opere operato existat, tamen sacrificium à bono, & religioso Sacerdote

fa-

factum, præstabilius, & fructuosius esse, quam quod nequam aliquis, ac perditus exegerit; tenetur; quamquam Sacerdos cum non suo, sed Ecclesiæ nomine præces faciat, nihil illis quin à Deo exaudiantur efficere ipsius indignitatem, sed uni ipsi in perniciem, & detrimentum cedere, qui tantæ sanctitatis munus inquinatus, & turpis non veretur obire:

Et quamvis in honorem, venerationemque Sanctorum ab Ecclesia Missas, & persolvi, & celebrari in dies in usu esse noscamus, non per hoc illis offerri Sacrificium intelligimus, sed soli Altissimo Deo, & omnium Patri, qui tales servos suos corona gloriæ, & beatitudine decoravit, ut ipsi pro nobis apud Divinam Majestatem intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam facimus in terris. *Concil. Trid. sess. 22. c. 3.*

Quapropter in qua Ecclesia Asculanæ Civitatis, & Diæcesis nostræ, aut corpus, aut caput, sivè magna, aut insignis pars, reliqvjarum Sancti alicujus debita veneratione habetur, volumus, ut ibidem officium duplex ex Romani Brevjarii ratione cùm Missa, quotannis recurrente illius mortis die, celebretur, si tamen Nos ipsas Reliqvjas recognoverimus, atque ita fieri jusserimus; Urbani VIII. seù Sacræ Congregationis super hoc servato decreto. *S. Rit. Congr. 1. Sept. 1612. & 8. Aprilis 1628.*

Et ut intemeratæ Virginis Deiparæ Patrocinium expectamus, volumus, ut omnibus Sabbathi diebus, de Sanctissima illa humani generis Aduocata

Missa celebretur, in omnibus nostræ Diæcesis Ecclesiis, nisi in eadem die statutum aliquod, ac solemne Sacrificium, aut commune omnium, aut Ecclesiæ illius proprium esset persolvendum.

Animæ verò defunctorum, quæ nondum expiatæ adhuc Purgatorii flamma cruciantur, cùm hujus oblationis beneficio gaudere summoperè contendant, illarum votis inhiantes, ut quamprimùm ad cæleste diversorium felicitèr valeant pervenire, hac lege sancimus, ut qui Ecclesiasticum obtinet Beneficium, cui adjunctum onus sit, totum per annum, certis diebus Sacrificium faciendi, is saltèm mensibus singulis, nisi frequentiùs ex alia obligatione debeat, Missam, quæ pro defunctis est deputata, celebrare memor sit, Deumque pro iis oret, qui tale Beneficium sibi fieri voluerunt.

Ad hoc autem; ut ad Sacra hæc facienda Almi Sacerdotes deputati, mente pura, corde integro, corpore quoque apti, paratique conveniant, edicimus, atque jubemus, omnes, postquam sollicitè honesto è cubili surrexerint, & eorum mentes ad Cælum elevaverint inde Divinum auxilium implorantes, ut condignè possint in mensa Domini calicem salutaris accipere, debere non aliter ad formam nostri Edicti, & Bannimentorum è domo, propriisque laribus egredi, quàm decentibus, atque ad talos demissis vestibus ornatos, sic enim modestè ad Ecclesiam transeuntes nuptiali virtutum veste præcinctos, sese curabunt ostendere, ut & etiam

c. non liceat dist. 13. par. 1 Decretal.

sæcu-

sæculi habitatores, videant in externo opera eorum bona, & laudent Patrem suum, à quo insimul cùm Ordinibus signum, & habitum servitutis acceperunt. Indulgentes jis tantummodò, qui in Pagis humilioribus, & montuosis existunt uti veste subgeniculari ad medias tibias demissa.

Sic igitur ornati, atque compositi, & toto corpore mundati, postquam Confessione, si quid resìdebat in conscientia sordidum, abluerint, quod licèt venialibus impliciti tantummodò mendis, efficere monemus; cùm sacra facturi sunt, priùs deputato in sacrariis loco secedant, atque ibi Deum propensiùs venerati, piisque fusis precibus, quas ibidem appensas ex præscripto in Visitatione nostra haberi volumus, paululùm in contemplatione ipsius Sacrificii, quod mox oblaturi sunt, immorentur, ut ita excitato ad Religionem animo, & Divino Numine propitiato, ad lotionem manuum, non amoto cæsitio, seu eo quod dicitur il Collare, sed tantùm urbanè pallio, pileoque extra tamen mensam Paramentorum concinnato, atque deposito, ubi viderint, sibi ad sumendas Sacras vestes fieri locum, tremebundi, & veneranter, & non audacter, vel certanter accedant, ut divinam indè rem majori suo, aliorumque fructui peragant.

Et quia illud etiam maximè confert ad animi Sacerdotalis præparationem, ut matutinæ preces, cum laudibus saltem recitentur à Sacerdotibus antequam Altare adeant satisfacturi; Nos prout eorum

ſpirituali incremento ſummoperè reddimur cupidi, ſic eos monemus; graviterque requirimus, ut Eccleſiæ inſtitutum in hoc ſequentes, ſolertes, & vigiles reddantur in hac pia executione miniſtri, non decet enim, ſine juſta aliqua ad Deum præcatione rem tantam aggredi.

Sacrariorum verò Præfectis, atque Cuſtodibus ſtrictè injungimus, ut nullo pacto audeant commoditatem facere ſacrificaturis, qui non debita modo toto corpore mundi, atque compoſiti à talis uſque ad capitis Sacerdotalem coronam, atque tonſuram, ac præcipuè præſcriptam talarem veſtem non gerentes, niſi fuerint vel exteri, vel forenſes, vel in aliquo conſtituti prçciſo neceſſitatis caſu; tunc enim aſcititia aliqua veſte ad talos ipſos protendenda ſuffulciantur, pœna illis indicta ſuſpenſionis à Divinis incurrenda, aliiſque arbitratu noſtro, ſi vel in aliquo contra noſtram notificatam illis intentionem ſuper his præſumpſerint attentare.

In reliquis, ſicut omnes Presbyteros noſtros adeò non credimus rudes, atque ignaros, ut neſciant præceptum naturalis jejunii, ab illis neceſſariò ſervandum ante Miſſæ celebrationem, ſic & eos noſſe credimus, vel ſaltem addiſcere obligatos impedimenta, quæ pro Sacrificiis faciendis poſſunt occurrere ex præſcripto Sacrorum Canonum, ſivè Conciliorum, aut Pontificum decretis, itemque ordinem totius Miſſæ perfectæ, & ad præſcriptum Eccleſiæ Romanæ in Rubricis credimus didiciſſe,

ta-

tamen illud præcipuè notari jubemus, ut postquam ipsi novi Sacerdotes edocti fuerint, vel pænes religiosos illos, apud quos spiritualia gesserunt exercitamenta, Sacras Missarum cæremonias de eorum peritia experimentum faciant apud nostrum Magistrum Cæremoniarum in Civitate, sine cujus relatione per sinceram fidem in Cancellaria nostra producendam Nos primam Missam celebrandi licentiam factam esse non intelligimus.

Cuncta autem, quæ per ipsos nouiter ad Sacra initaitos necesse est scire, diligentèr callere per ipsum Cæremoniarum Magistrium volumus, juxta ea, quæ in Rubricis Missalis, & apud Thesaurum Sacrorum Rituum Bartholomæi Gavanti luculenter elucubrata sunt.

Successivè de vestibus, de palliis, de Altaribus; aliisque instrumentis ad Sacrificium adhibendis, omnia serventur, atque compleantur, quæ de vnoquoque illarum genere, insimul cum varietate colorum, quæ in Ecclesia per varias anni vices tenenda est apud prædictas Rubricas, & Auctorem accuratè notantur.

Cum autem Episcopo, qui utique Sacrorum operator debet esse primarius, Ecclesiæ sponsæ suæ, certis anni temporibus, & solemnioribus in festis, publicum, & solemne conveniat aliquando reddere debitum obsequii, & famulatus, ut tanquam inter Deum, & animas sibi commissi gregis Pontifex,

fex, & mediator existat pia immolationis placatione; Ideò certis anni festis diebus pro Ecclesiæ consuetudine, solemni cantu, sacra facere, nisi ex gravi causa detentus, non intermittat, & tunc omni attentione curet, ut omnia in iis seruentur, quæ Rituum disciplina, ratioque præscribit, in quibus cæremoniis obeundis modestiæ gravitate, ac vigili pietate præfulgens, exemplum non solùm religionis, sed & diligentiæ omnibus præbeat, ità magnis, ac minutis rebus adimplendis.

Et licet si ex munere nostro agere vellemus, utique Sanctos Antistites imitandum esset, qui non celebrioribus modo diebus, sed festis omnibus, Dominicisque, præsertim Adventus, & Quadragesimę Sanctum id obire munus in more habuerunt, quod & Nos pro nostra imbecillitate, & nostræ conscientiæ trepidatione magis suspicimus, ac veneramur, quam in pristinum revocare usum audemus; tamen hisce sæculi nostri temporibus, quantùm in Nobis est veterem cultum reparare cupientes, dies omnes, quibus in Ecclesia nostra, vel Sacra facere, vel ipsi, operantibus aliis dignioribus de Capitulo nostro, alio modo solemniter intervenire, & assistere posse, putamus, & quod prætermittere unquam est animus, præsenti decreto complectimur, atque sancimus.

Quibuslibet diebus Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, saltem Pontificali Cappa induti, à

No-

Nobis solemni Sacrificio assistentia præstanda erit; & tunc non organis, & citharis Sacri Cantus habendi, sed licèt figuratè, gravi tamen & modulatione apta ad Cappellam audiatur, exceptis Dominicis tertia Adventus, & quarta Quadragesimæ: itemque licet diversa cantus solemnitate, erit peragendum in aliis festis Apostolorum, & Sancti Ioannis Baptistæ nativitate &c:

Calendis verò Januarii pro festo Circumcisionis Pontificali cappa aderimus induti.

Postridie nonas Januarii in Epiphania.

Postridie Calendas Februarii in Purificatione.

Octavo Calendas Aprilis in Annunciatione solemniorem assistentiam plvujali, ac mitra; cæterisque Pontificalibus ornati, præstabimus.

Feria quinta in Cœna Domini ipsimet Sacra solemnissimo de more operabimur.

Reliquis feria sexta, & Sabbatho majoris Hebdomadæ; cappam de more gerentes interveniemus.

Die Sacratissimi Paschatis Dominicæ Resurrectionis solemnissimè celebrabimus, assistentiam cum Cappa præstando reliquis ipsis duobus festis sequentibus diebus.

Die prima Pentecostes, nisi solemniter celebremus, majorem tamen assistentiam parati præstabimus, aliis verò sequentibus diebus cum cappa.

Idem cum Dominica Sanctissimæ Trinitatis.

Die festo Sanctissimi Corporis Christi, Sacrificium sine cantu in Ara maxima, & indè solemnissimam

mam habebimus ſupplicationem, Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per ampliores vias geſtando.

In feſto Conſecrationis noſtræ Aſculanæ Cathedralis cum cappa ſolemniter Sacrificio aderimus.

Tertio Calendas Julii die feſto SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum ſolemnem aſſiſtentiam præſtabimus.

Nonas Auguſti pro natali feſtiviſſimo die Sancti Patris Æmygdii Aſculanæ noſtræ Eccleſiæ fundatoris, & Patroni ſolemniſſimis Cæremoniis hoſtiam Divinam immolaturi ſumus.

Die decimaquinta Auguſti in Aſſumptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cui noſtra Eccleſia fœliciſſimè dicata reperitur, ſolemniſſimum ſacrificium cum cantu peragemus.

Die octava Septembris in ejuſdem Virginis nativitate cum cappa aſſiſtemus.

Die 6. Octobrts pro creatione Summi Pontificis ALEXANDRI VIII. Regnantis, ſolemniter pro eo Sacrum operanti cum cappa aderimus.

Calendis Nouembris die feſto omnium Sanctorum ſolemniori modo Nos Sacrum facienti aſſiſtemus.

Pro Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, & in ſequenti die pro noſtris Anteceſſoribus Epiſcopis, & Sacrificio decantato aderimus, & abſolutionem Nos ipſi Pontificaliter induti præſtabimus.

Pridiè Calendas Decembris in festo S. Apostoli Andreæ, quo die nos anno salutis 1679. consecrati fuimus cappa induti Sacrum pro Nobis reddenti humiliter aderimus.

Idem faciemus in festo Conceptionis Mariæ Virginis.

Idem in Adventu Sacræ Domus Lauretanæ Processionem sequendo.

Octavo Calendas Januarii in Nativitate Domini solemnissimo Ritu Sacra faciemus.

Quæ omnia sic sancita habeantur, dummodò tamen Nobis aliter facere non videbitur, aut opportuniùs operari fas erit.

Cœterum sicuti ex veteri Decreto Felicis IV. Summi Pontificis convenit, ut quilibet Episcoporum Consecrationis suæ diem solemni Sacrificio celebret, quod juxtà ordinationes Rubricarum, & Missalis Romani ordinem est faciendum, ita hortamur Sacerdotes omnes, ut quo quisque die Sacerdotio initiatus fuerit, eum Sacrificio pariter, ac piis precibus singulis annis recolat, renovationem spiritus, ac devotionis gratiam exposcendo; diem verò solemnem dedicationis, Consecrationis Ecclesiæ Cathedralis nostræ, quam tot nominibus amplitudinis dominationum, privilegiorum amplissimorum titulis insignem, & in Piceno cæterarum antiquissimam fundatione S.Pontificis Marcelli, & Sede Apostolatu, martyrioque S.Patris Emygdii primi nostri Episcopi à mille trecentis, & octuaginta

C.solemn. de consec. Decr. p.3. dist.1.

O iam

iam annis condecoratam, *& Sedis Apostolicæ filiam specialem* à Gregorio IX. appellatam, Sanctissimæque Virgini Deiparæ in Cælum assumptæ dicatam, Illustrissimus, & Reverendissimus Montius Prædecessor noster postridie Idus Junii anni 1676. solemni ritu consecravit, futuris quoque temporibus per annum quemlibet eadem die recurrente, summa celebritate, atque apparatu coli, & commemorari jubemus. Officium verò Divinum per Octavam in sola Civitate, & ab omnibus Ecclesiasticis in tota Diœcesi manentibus fieri in ipsa die volumus, & de manè talis diei, artifices, omnesque alios, donec principale Sacrificium in Cathedrali peragatur, ab omni opere cessare præcipimus, quod quidem erit faciendum quo die aliarum Ecclesiarum, sivè Collegiatarum, sivè Parochialium dies Consecrationis colitur ab omnibus illis qui intrà Parochiæ illius fines habitant.

Et licet ipsa Sacrificii actio solemni cæremonia, cantuque sæpiùs in anno ab Episcopo religiosè, ac studiosè suscepta magnam in excitandi Populi pietatem vim habere soleat, tamen id uberiùs assequi posse videtur, si idem Canonicarum Horarum recitationi intersit, & in utrisque Vesperis officium faciat, & præcipuè si proprii sermonis eloquio inter ipsum Sacrificium, adstantem Populum soletur, & apta Concione alloquatur, de negocio æternæ salutis disserendo, ac in hoc sollicitudinem, charitatemque suam totis visceribus exhibendo, quod mu-

munus, si pro nostra imbecillitate, ut par est, nequimus obire, hortamur tamen omnes, ut frequentes, hilaresque talibus adsint; potens est enim, ut nostrum augeat eloquium, Deus, qui infirma solet eligere, ut fortia quæque confundat.

Quò verò ad alia præstanda cùm solemni Sacrificio Episcopus operatur, serventur omnia in Cœremoniali Episcoporum præscripta.

Et cùm non studiosè solùm custodiri, haberique debeant Sacerdotales vestes, illud quoque curæ debet esse illarum custodibus, ut ne Sacris eas aliquis adhibeat, nisi priùs ab Episcopo solemni ritu Consecratæ, benedictæque fuerint.

Sacerdotes autem, & Parochi præcipuè in illa hora Missæ Sacrificium obeant, qua frequentior Populus convenire solet, & illud in mente habeant, sese non suis commodis esse vocatos, sed alienis, minimè verò Parochi, aut Cappellani Ecclesiarum id tempus, aut anticipare, aut proferre curent, ut cujusquam alterius commoditati particulari deserviant; signa enim debita temporis interpellatione, campanarum sonitu præstentur, quibus saltem à primo ad ultimum tantùm temporis intercedat, quantùm congruens esse judicabitur de longè accessuris; quod si in Ecclesiis ruralibus duo, vel plures Sacerdotes sint celebraturi, primò diluculò simplex Sacerdos celebret, Parochus altiori luce supersedeat, præterquàm festis diebus, quibus ne à Parochiali Missa Populus avocetur, post eam

expletam aliam celebrari jubemus.

In Ecclesiis verò ubi plures adesse solent Sacerdotes, & maximè in Cathedrali nostra, singulis horis singulis eorum munus explebunt juxtà præscriptum Sacristæ Majoris, vel ejus, quem, id, Nos definire, & in turnali tabella apponere jusserimus, tenore Decretorum in Visitatione nostra editorum, ejusque Sacristæ, aut Deputati munus erit, quibuslibet Altaribus, & Cappellis Missas dirigere, prout obligationes, aut ordo ipse exposcit, & curet, ne eodem tempore plures Missæ dicantur, præsertim ubi Sacerdotes se terga vertent, vel ubi mutuò possunt offendi, commoditasque tàm Ecclesiæ, quàm Populi suo cordi sit, & à primò diluculò vsque meridiem successivò semper ordine celebretur.

Nemo ante solis ortum anticipare, aut inchoare Sacrum audeat, præterquàm natali die Domini nostri Iesu Christi, & nemo post meridiem differat, nemo antequàm accensa luminaria ex cera in Altari lucescant, nemo dùm concio habetur, nemo in eodem tempore, quo ipse Episcopus Divino Sacrificio operabitur, pœna arbitrio nostro Sacerdotibus tali casu, & suspensione Sacristis, qui id fieri permittunt, indicta.

De Consecr. dist. 1. Conc. Trid. de Sacrif. Miss.

Sacri Ritus ab Ecclesia Catholica Canonicè sanciti, & in Missali Romano contenti nullo pacto addantur, seù minuantur; quapropter Missam Sacerdotes ita legant, ut memoriæ parum, aut nihil fidendum sciant, sed oculis in librum defixis, ita

ver-

verba pronuncient, ut nulla deserant, nulla postponant, & quæ audiri à circumstantibus debent, altè, quæ verò secretò sunt dicenda, submissè, sed attentè peragant, atque ita vocis, actionisque gravitatem moderentur, ut omnia comptè, omnia grata se habeant, nec nimia brevitate levitas, aut irreverentia ostendatur, nec nimia prolixitate Populus tædio afficiatur.

Hostiæ ex azymo pane triticeo decenter factæ comparentur, tenues, puræ, mundæ, candidæ, recentesque sint, ne illas Layci homines, nevè profanæ fœminæ faciant, religiosis tantùm ad hoc dispensatis, nevè humido in loco, aut indecenter asserventur. Vinum nonnisi merum, & de recenti comparatum adhibeatur optimum, & vetus tùm potiùs, quàm novum elegatur, album rubenti semper præferatur, atrum vitetur, cum potest, quod calices ipsos, & purificatoria præsertim inficit.

Utquè etiam à fidelibus ipsis absentibus Sacrosancta Sacrificii hostia recolatur, probatissimum antiquum morem pulsandi campanas eo tempore, quo in Cathedrali nostra quotidiè in majori Missa à Sacerdote Sacræ Hostiæ elevatio habetur, retineri volumus, imò diligenter tale onus adimplendum esse per eos, quibus cura demandata est, jubemus.

Insuper adhoc, ut Populi nostri religio magis excitetur, exemplum Prædecessorum nostrorum sequentes, omnibus jis, qui accepto tali signo statim in loco ipso positis genibus venerabun-

di

di Augustissimum Sacramentum adoraverint, viginti dierum Indulgentiam, illis verò, qui ex vicino ad Ecclesiam ipsam ad primum campanæ sonum accurrerint, quadraginta dierum pœnitentiam salubriter in Domino relaxamus:

Illud quoquè omittere non debemus, quod si Sacerdos alloqui Populum, aut ad publicationes aliquas, seù denunciationes faciendas necesse habeat devenire, id statim, Evangelio recitato faciat; oblationes autem, & stipes in illis Ecclesiis ubi haberi consueverint, eodem pariter tempore fieri non vetamus, dummodò id fiat per idoneum à Rectore Ecclesiæ deputatum, & stips ipsa, seù eleemosyna in ejus generis vase, sacculoque, seù ut dicitur, Bursa, ità injiciatur, ut nullam elatæ ostentationis, aut avaritiæ notam præseferat.

Porrò cum in Divinis officiis obeundis, partitio, ac distributio temporis opportunè cuncta disponat; populoque faciliorem adeundi Sacra faciat usum, Nos pro occurrenti temporis revolutione per Ecclesiarum, seù Sacrariorum Rectores horarum rationem in tabella describi monemus, qua certa pulsandi campanas methodus ad excitandos fideles, evocandosque ad Ecclesiam, sit sancita, quam Nos tabellam, ubi recognoverimus edi, & in Sacrariis affigi, ac per totam Diœcesim aptè pro vnoquoque loco servari, jubebimus.

c. omnes fideles, c. Missas dist. 1. de cons. Cumquè tot adinventis salutaribus monitis, nulli ratio remaneat excusationis; festis diebus, & ex præ-

præcepto præsertim servandis, caveant Domini, Patresque familias, ne eorum liberi, Servi, Pastores, ullo, quantùm in ipsis est, remorentur impedimento, quin illis præscriptis horis ad Ecclesias se conferant ad audiendas Missas, vel ad Catholicæ doctrinæ rudimenta sumenda, nisi neglecti præcepti ipsi Patres, Domini, Præpositique velint omnem culpam, pœnamque subire.

Viduas ob recentem viri mortem, puellasque ætate jàm nubiles causa pudoris à satisfactione præcepti de audienda Missa festis diebus nescimus excusare, nisi fortè ipsa die depositionis defuncti vehementissimus impediret dolor, vel nisi altera Ecclesia, quæ tumulati viri vxorem, aut alterius cujuscunque defuncti Parentes, puellasque prædictas, sine pudoris jactura posset excipere, non enim magis propitiabile aliquid in salutem prædictarum animarum possent efficere, quàm illis augustissimi holocausti operatione suffragari, quod onus, vel summo mane, vel alio remotiori tempore, aut loco possent adimplere.

Cunctos verò, qui Ecclesiam conveniunt, memores esse volumus, illam adire debere, ut numen ipsum placare studeant, non offendere præsumant; quare omnes contremiscenti animo, ac reverenti præcipuè intersint, & nemo non aperto sit capite, nemo non duplici poplite se submittat, nemo non silentium teneat, nemo propius, quàm par est, ad Altare, atque Sacerdotem accedat, nemo contra

ita

ita longè absistat, ut nec audire Evangelium; nec vocem precantis possit, multò minùs aut extrà Ecclesiam, aut in foribus, nisi ex necessitate subsistat, nemo Altaribus innitatur, nemo Aræ majori, ac Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, aut Sanctissimis reliquiis terga vertat, nullaque faciat ex damnatis, & vetitis in Bulla B. Pii Quinti, cujus pœnis præcipuè inanes, ludicrosque, ac impuros sermones, & actus ad flagitiosos amores procacibus oculorum conjectibus excitandos, multari volumus, & puniri, sed omnes ita corpore compositi sint, ut ex externo quoque habitu, interior animi religio indicetur: quare non alio habitu, quàm eo, quo in publicum prodire solent, conveniant, nàm si coram sæculi Primatibus, sine pallio, aut sago, aliisque decentibus ornatibus comparere non audent, ita pariter domum Domini coram Deo, & Angelis ejus nonnisi, quàm humaniori decore ornatos ingredi, par est, & sicuti hastis, pilis, sclopis, aliisque similibus armis Ecclesias irrumpere, ac per eas circumcursare prohibemus, constituta transgressoribus pro armis, ut dicitur da fuoco, excommunicationis pœna, ita Opificibus, ac Villicis instrumenta aliqua in eisdem Ecclesiis secum ferre, vetamus.

Porrò Sacri Evangelii recitatione omnes assurgant, ut astantibus corporibus intelligatur in expeditione tutandi Evangelium, ac divinæ Legis observantiam se quemlibet in promptu tenere.

c. Apostolica 68. dist. 1. de consec.

Mu-

Mulieres si, id peragere pigeat; saltem tum sedere eas non licebit, & quo illarum modestia in gravi corporum, & vestium gestatione, ac demissa oculorum vibratione refulget, eò magis loci sanctitudo longè lateque id poscit; Ita cupientes sæculi hujus effrænam licentiam cohibere, improbamus morum illam corruptelam, quæ apud aliquas etiam ex honestioribus fœminis ubique prævalere potuit in usu, nudo pectore, patulisque mammis, nudatisque etiam ad cubitos usque brachiis, tanquam lixivium, aut coquinam petentes Ecclesiam adeundi; has quippè, quæ sic Sacris interesse, & forsan Angelorum Mensæ accedere pudorem non habent, admonere à Parochis, volumus; ut in posterum in publicum nonnisi ad collum usque, ad manuum tenùs, velis, aut lineis ornatibus coopertæ, comptæque prodeant. Prò quarum obseruantia rerum strictè ultra Parochos, Confessarios, ac Sacramentum Eucharisticum dispensantes, oneramus, ut scilicet Parochi, & Confessarii moneant Pœnitentes, & si incorrigibiles fuerint, eos non absoluant, alios *1. ad Corint. cap. 11.* verò ita lascivientes nullo pacto ad receptionem Dominici corporis audeant recipere, & cum etiam mulieres aperto capite in Ecclesiis versari contra Sanctissimi Apostoli Pauli præceptum sit, qui ibidem velatas propter Angelorum reverentiam manere præcepit.

Nos antiquam hujus Sanctæ Ecclesiæ Asculanæ sanctionem super hoc renovando, & Sanctissimi

Regnantis Pontificis æstibus æstuando, castissimam, & matronalis decoris studiosissimam quamquam hortamur, ut depravata consuetudine relicta, duces se aliis præbeant, sanctum, & earum pudori, atque honestati congruentem morem inducendi, ut Ecclesiam nonnisi velato capite, & clauso pectore, vestitisque decenter cæteris membris, adeant.

Cæterùm sicuti mulieres sacrificiis immisceri, imò propiùs Altari, aut intra ejus Cancellos admitti prohibetur; ita Sacerdotis, aut alterius Ordinis Clerici illegitimus filius ab ea Ecclesia arceatur, in qua Pater, aut beneficium obtinet, aut ministrat, ne Clericalis decor, & Ecclesiæ sanctitudo illo quasi incontinentiæ continuo teste offendatur.

cap. Peruenit dist. 2. de con. secr.

Facinorosos quoque ac excommunicatos à Sacris arceri volumus; quod si fortè excommunicati adesse præsumpserint, à sacrificando supersedeatur, donec illi abscesserint, istos tamen sic excommunicatos, & criminosos monemus, ut vel Sacris abstineant, aut vitæ emendatione se sanare festinent.

In Cathedrali Ecclesia, aliisque Collegiatis nostræ Diœcesis servetur de more, sive de novo inducatur usus quotidie celebrandi majorem Missam sueto cum cantu; diebus verò Dominicis, festisque nullus alius, quàm aut unus ex Dignitatibus, aut ex Canonicis Missæ cantandæ onus subeat, ministrantibus sibi cùm Sacris vestibus, & Cæremoniis, Subdiacono, & Diacono, in quibus præscripta in Cæremoniale adamussim servari volumus, & jubemus,

bemus, & unum ex Cæremoniarum Magistris talibus festivis diebus semper adesse præcipimus.

Sacerdotes omnes juxtà mentem Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi quibuscumque Dominicis, & festis diebus celebrare Sacram Missam ne negligant, & Diaconos, & Subdiaconos Sacerdoti celebranti ministrantes iisdem Dominicis festisque diebus, saltem solemnibus Sacramentum Eucharisticum sumere debere, & Parochos bis saltem in hebdomada, absque solemnibus diebus in sua Parochiali Ecclesia celebrare, & pro Populo qualibet die Dominica offerre, indicimus, & jubemus, sub pœnis juxta casuum contingentias à Nobis declaraturis; & qui legitima causa per Nos probanda, sunt impediti, saltem diebus Dominicis, & festis de præcepto non omittant.

Trid. sess. 23. c. 14. & c. 13.

Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de Reform.

S. Congr. inclusiua 3. Iunÿ 1670.

Nicol. Flosc. v. Parochus nu. 34.

Et quia Missæ vel sunt celebrandæ illis Altaribus, quibus oneris, vel ordinis ratio expostulat, Nos Sacrariorum Præfectis curam esse volumus suis quibusque locis illas opportunè dirigere, & omnes Sacerdotes, qui ex obligatione celebrarunt, in libris, quos in unaquaque Sacristia inveniri volumus sua propria nomina exarare, addito die, mense, & anno, jubemus, ut dignoscere possimus, an quisque suum munus impleverit, & qui Missam non dictam falsò notaverit, suspensionis pœnam ipso facto incurret; Punctatoremque vel Sacristas ipsos monemus, ut sæpè sæpiùs ad tenorem aliorum decretorum Visitationis nostræ, ad Nos negli-

gentium nomina deferant, ut vel fructus beneficii, vel pœnæ statutæ, Sacrariis ipsis, quibus eos applicavimus consignari non omittantur.

Porrò non liceat Cappellanis, aliisque beneficio Ecclesiastico provisis cùm onere certarum Missarum in aliqua Ecclesia, seu Altari, alienam ad id operam, mercede conductam, adhibere, nisi ex Cappellarum suarum institutione id habeant in facultate, aut ipsam à Nobis aliqua justa de causa impetrarint, & qui certo pariter Altari certis diebus Missam debet, præcisam formam suæ obligationis adimpleat, sub pœna pariter arbitrio nostro taxanda, nisi aliquando ob aliquam causam à Nobis aliter indultum fuerit.

Et cùm ad omnem excludendam in rebus Sacris aviditatis suspicionem, opportunum esse non censeatur in iis Ecclesiis, ubi celebrari, aut præcipua devotione frequentior Populi concursus fieri solet, ut oblationes, & eleemosynæ pro Missis celebrandis à quibuslibet Sacerdotibus recipiantur, Nos idcircò præcipimus, prædictis in locis nulli tales eleemosynas flagitare, aut recipere licere, sed eas ab iis, qui ultrò deferunt, in arculam apto in loco propositam coniici debere, arculamque ipsam duplici sera, geminaque claui, nonnisi Nobis consultis, aut iis, quibus operæ curam fecerimus, aperiri volumus, extractas autem eleemosynas, Sacerdotibus pro eorum merito distribui jubemus; at si

quid superfuerit ex eo necessarias res ad ipsius Sacrificii cultum provideri.

Suscipientes verò certis diebus onus Missas celebrandi in aliquo Oratorio, sivè Ecclesia, id Nobis, seù Vicario nostro notificent, nec à Rectoribus, seù Administratoribus Piorum locorum, & Ecclesiarum admittantur, nisi scripto nostram approbationem ostenderint, ut nemo plus oneris, quàm sibi par est, suscipiat, & Parochi præcipuè, qui specialiter propriis Ecclesiis tenentur pro talis oneris susceptione, nullatenus facultatem obtinebunt, nisi tanta Ecclesiæ suæ tenuitas fuerit, ut necessaria victui non suppeditet.

Qui verò talia onera subibunt, sive beneficii jure, sive mercedis, nullo pacto muneri suo deesse audeant, nam si defecerint pro singulis diebus ferialibus iuliis duobus, festis verò duplo mulctentur, nisi morbo, aut alio legitimo impedimento à Nobis approbando impeditus fuerit; quisque tamen, licet soluta pœna, reponere omissa Sacra teneatur, Sacristam tamen oneramus cura, illos notandi, in quo si negligentia, aut dolo deficiat, duplicem de suo mulctam persoluere mandamus; Rectores autem, vel Sacrista, quolibet trimestri omissionum notulam cum libro ad Vicarium deferant, alioquin illa onera ipsi supplebunt, & aliis arbitrio nostro pænis subjaceant, hæc autem ordinationum pars in Sacrario Ecclesiarum, ubi alia onera habentur vulgari idiomate descripta pendeat.

Ne

Ne autem pias Defunctorum diſpoſitiones ullo pacto defraudari contingat; ſciant omnes, nemini licere, ſub quovis tenuitatis eleemoſynarum, ſeù reddituùm prætextu, præſcriptum ſibi Miſſarum numerum reducere, hoc enim ſpecialiter Sedi Apoſtolicæ reſervatur, niſi aliter in ipſa fundatione caveatur, graviter enim peccare ſe noverint, & ad reſtitutionem teneri, niſi tot Miſſas celebraverint, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ fuerint præſcriptæ.

Bull. Decret. S. Cong. Côc. ſub Vrbano VIII. de celebr. Miſſar. cap. 1. & 2.

Illud quoquè notum eſſe volumus, non licere Sacerdoti ullo modo ſibi aliquid retinere de attributa eleemoſyna, ſi alteri, licet ſcienter Miſſam celebrandam committat cùm minori mercede, imò nec pro expenſis luminum, vini, hoſtiæ, & aliorum &c. aliquid poſſe detrahi.

d. Bull. §. 4.

ead. Bul. §. 5

Qui verò Cappellani officiaturas habent in aliorum Eccleſiis, & ſuppellectilem Sacram indumentorum, Sacrorumque vaſuum, & aliarum rerum non habent, nec pro eorum uſu aliquid fundatores perſolviſſe docere non poſſunt, Sacriſtiæ perſolvant pto conſumptione dictorum ſuppellectilium in ſingulas Miſſas hebdomadarias quolibet anno tres julios de ſemeſtre in ſemeſtre pro rata, ſpontè exhibeant, & exindè pro Miſſarum numero proportionabiliter, vel pauciores, vel plures præſtent ſolutiones, illis exceptis, qui ad celebrandum pro devotione conveniunt, impedientibus pœna ſuſpenſionis propoſita.

In

In Sacrificiorum eorundem celebratione candelę albæ ceræ, & singulæ saltem duarum unciarum fa-cturæ adhibeantur, ne excedens tenuitas Sacrificii dignitati, vilitate rei magnificentiam deroget; contrafacientibus duorum scutorum pœnam imponimus.

Manuales autem eleemosynas pro Missis cele- *d. Bull. §.6.* brandis accipere tunc posse noverint Sacerdotes, si pro jam receptis fuerit satisfactum, aut si satisfieri possit intra modicum tempus, hoc est quindecim dierum.

Item anticipatas Missarum celebrationes pro incerta futura eleemosyna ab universali Ecclesia non probari sciant.

Præterea pecunias, & bona quoque mobilia Ecclesiis, vel Societatibus, relicta cùm onere Missarum perpetuò, à die acquisitionis, illicò deponi volumus, vel penès ædem Sacram, vel publicum Civitatis cammerarium ad effectum ea investiēdi in tot bonis stabilibus, fructiferis, & tutis, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, aliisque arbitrio nostro declarandis.

Et ne pro onerum perpetuorum susceptione in posterum de quantitate mercedis, & stipendii dubitetur, declaramus, eleemosynas pro Missis perpetuis esse taxandas in julio uno cum dimidio, seù obolis quindecim pro qualibet Missa, & juliis quinque pro singulis Missis majoribus, & ut redditus, qui pro præfatis oneribus relinquuntur prædictæ re-

respondeant eleemosynæ, strictè prohibemus Capitulis, Parochis, Ecclesiarum Rectoribus, Confraternitatibus, aliisque piis locis, & eorum Administratoribus Nobis subiectis, ne in posterum sine nostra licentia in scriptis obtinenda, nova onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiant, sub pœna pariter Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ipso facto incurrenda.

Demùm ut omnis negligentia, & fraus, qua piæ solent dispositiones deperire, divinusque cultus imminui, omnibus Parochis Ecclesiarum Rectoribus, piorumque locorum Administratoribus enixè præcipimus, ut diligentissimè provolutis libris ex actibus, & scripturis ad singulas personas, & loca spectantibus, quibus onera Missarum continentur, suam quisque tabellam publicè exponendam in suarum Ecclesiarum Sacrariis curent appositis diebus, & mensibus, quibus officia, & celebrationes peragi debent, additis nominibus benefactorum, ac disponentium, & rogitu Notarii &c. ac Altaris, seù Cappellæ, cui est onus affixum; tabellæ verò istæ sic compositæ infrà unum mensem ab editione hujus Synodi Nobis transmittantur, ut omnes registrentur in Cancellaria nostra generali sub pœna unius scuti aurei.

Altaria, & Cappellæ, in quibus Missæ ex fundatorum, vel dotantium dispositione celebrandæ non dicantur, eò quia vel bona stabilia, census, vel alia quæcunque bona non fuerint tradita, consignata,

vel

vel relaxata, aut illorum fructus, & responsiones non persolvantur, adhibitis per quos spectat debitis diligentiis, denudari decernimus, & mandamus, quod si obligationibus hujusmodi, nec postmodùm intrà terminum quatuor mensium ab interpellatione inchoandum, fuerit cùm pleno effectu satisfactum, situm illum, & Altaria, aliis sufficienter dotare volentibus assignari permittimus.

In illis Ecclesiis ubi Eucharistia non asservatur, juxtà Ecclesiasticam normam celebrari Feria quinta in Cœna Domini, & Sabato sancto prohibemus, & ubi illud asservatur, unum tantùm Sacrificium in qualibet Ecclesia fiat.

Si quandò in utrolibet illorum dierum festum Sanctissimæ Annunciationis inciderit, ad hoc ut in ea celebritate confluentium multitudini, ac pietati provideri possit, Rectores Ecclesiarum eo casu Nos adeant, ut quid opportunum fuerit tunc constituere pro temporis opportunitate provideamus.

Peregrinis Sacerdotibus, & Advenis ex aliena Diœcesi, nisi à Nobis facultatem obtinuerint celebrandi, postquàm constiterit de eorum qualitate per litteras suorum Diœcesanorum, & si in Diœcesi diùtius fuerint commorati, vel si externæ nationis, nisi ad tenorem Apostolicæ sanctionis secùm habeant litteras à Nunciis, & Collectoribus illarum partium Romæ in officio Cardinalis Vicarii recognitas, nec in Regularium quidem Ecclesiis celebrandi opportunitas præbeatur, sub pœna suspen-

Concil. Trid. sess. 22. de Sac. Miss. & sess. 23. c. 16. de ref. c. 1. de Clericis Peregrinis Conc. Med. 3. de Sac. Miss. c. 1

Q sio-

ſionis ipſo facto incurrenda, & carcerationis ad menſem. Ab his Sacerdotes Regulares excipimus, quibus in ſui Ordinis Eccleſiis pro ſuæ diſciplinæ inſtituto agere licebit.

Concil. Trid. ſeſſ. 22. de Sacr. Miſſ. c. nullis, & c. præter. diſt. 32.

Illos verò, qui Sacerdotalis Dignitatis, & proprii Ordinis obliti in contumeliam, & injuriam facinoroſi, & criminoſi notoriè nuncupantur, ab Altaris participatione arcendos eſſe omninò volumus; Quod ſi ad illud ſic indigni accedere præſumant, ipſo facto ſuſpenſos eſſe declaramus, & ſi hac ſpreta; celebraverint, irregulares declarentur, & contra eos alio Canonico modo procedatur, donec reſipiverint, & priorem vitam novis compenſent meritis, & exemplis.

S. Cong. apud Nicoliū floſc. in verb. Miſ.

In SanctimonialiumEccleſiis nullus alius Sacerdos abſque noſtra, ſeù Vicarii noſtri Generalis licentia præter Confeſſores, & Sacellanos à Nobis datos celebrare audeat, ſivè Regularis, ſivè Sæcularis ſit; In iis verò diebus, quibus feſtivitates, vel officia peraguntur, à Confeſſore eos tantùm invitari pro illis permittimus, quos à Nobis conſtiterit non eſſe improbandos, quod etiam apud eas, quæ Regularibus ipſis ſubjiciuntur, locum habere, declaramus; tranſgreſſoribus, & ſuſpenſionis cenſura, & aliis quoque arbitratu noſtro pœnis indictis.

Cōc. Mediol. 7. de ÿs, quæ ad celebrat. Miſſ. p. 2.

In privatorum verò Sacellis, ac Oratoriis, quæ intra ſepta ſæcularium domorum conſtructa ſunt, nemo celebrabit, niſi ea facultas à Sede Apoſtolica, vel à Nobis data ſit, & niſi Oratoria ipſa fuerint à No-

Nobis recognita, & apta ad divinum cultum inventa; remota siquidem ab omni usu, & strepitu prophanarum, & domesticarum rerum hæc esse debent, & congruentem formam Ecclesiastici loci præferre, necnon sufficienter, decenterque Sacris suppellectilibus ditata; quibus tamen uti non debent ji, quibus ex privilegio competit, nisi necessariò, & cum impediuntur publicas cum Populo Ecclesias frequentare.

Caveant verò Sacerdotes illi, quibus in jisdem Oratoriis, sivè domesticis, sivè ruralibus permissum est celebrare, ne in damnum, perniciemque Parochorum, & Ecclesiarum, intrà quarum jurisdictionem sita sunt, sonu, aut tintinnabulo campanæ signum ad conveniendum Populo præbeant, aliaque faciant, quæ in illorum præjudicium cedere videantur. *Sum. Diana ver. Oratoria num. 7.*

Benè autem jisdem Sacerdotibus, seù Cappellanis ruralium Ecclesiarum hujus Territorii ex quodam charitatis munere, quo obeundo eos vehementer in Domino adhortamur, rudibus, & parvulis illuc advenientibus, sivè post Missam, principaliorum mysteriorum Fidei, cùm Symbolo Apostolorum, Oratione Dominicali, Salutationeque Angelica, & Decalogi, & Ecclesiæ præceptis, aliisque Divinis rebus repetitionem facere, pro qua re, sciant sese non solùm à Parochis grates maximas habituros, verùm & à Summo Deo retributionem consecuturos.

Loca autem omnia Sacris rebus destinata, atque statuta, fenestras vitreas, vel saltem tela ita munitas habeant; ut omni ventorum spiraculo secluso, Sacrificium tutè, secureque peragi queat. In Altaribus autem in aperto Statutis, pluviæ ventoque, ac tempestatibus expositis, licet Ecclesiæ adjunctis, Sacra peragi vetamus, nisi aliqua urgente necessitatis causa, aliud à Nobis fieri permissum fuerit; si quis autem secùs fecerit, pœna gravi se mulctatum sentiat.

In reliquis pro meliori tàm Ecclesiæ, quàm celebrantium, & audientium Missarum celebrationes commodo, in Cathedrali nostra, si quid, vel in aliquo obsoletum esse contigerit ex ordinibus recolendæ memoriæ Reverendissimi Episcopi Donati, in integrum quoad omnia dictas ordinationes confirmamus, illasque novis in tabulis descriptas, & conspicuas in Sacristia restitui mandamus.

Pro quorum observatione decernimus, ut Sacrista post duos dies à publicatione præsentium juramentum præstet in manibus nostris, vel nostri Vicarii Generalis, se absque aliqua exceptione notaturum esse fideliter per singulos dies omnes illos, qui celebrare omittent ad tenorem prædictarum ordinationum, & alii quoque eligendi Sacristæ aliis futuris temporibus, idem facere teneantur, sub pœna suspensionis.

CAPUT XII.

De Horis Canonicis, & Divinis Officiis.

SAcrosanctæ militantis Ecclesiæ partes sunt, in unitate fidelium, & Animarum psallentium concordia triumphantis cœlestis Jerusalem Angelicos concentus in summi Boni honorem, & laudem in hac licet palustri, & humili lacrymarum valle coram Angelis, & hominibus reboare simul, ac imitari.

Quapropter sicut ob infirmitatis miseriam septies in die cadere justum invenitur; ita quasi ad reparanda humilium homuncionum maledicta, publicæ quædam, ac determinatæ preces horis diurnis, nocturnisque, ex Sacrorum Canonum decreto, Ecclesiæ nomine, septies in die ad Deum sunt persolvendæ, & hæc cura speciali, & peculiari modo Ecclesiasticis quibusque viris est demandata, sivè Sacris Ordinibus initiatis, sivè Religionis voto, aut Ecclesiastico beneficio devinctis. *c.1.de Celeb. Missar.*

Quas quidem preces, Canonicasque Horas præfati omnes, vel partim, vel in Ecclesiis publicè canere, ac recitare tenentur, sub peccati lethalis pœna, & fructuum suorum beneficiorum amissione, nihil innovando, addendo, vel detrahendo iis, quæ ratione, & disciplina Breviarii Romani jussu *Conc. Med. 1. q.2. tit.de rat.div.Offic.*

B.Pii

B. Pii V. Pontif. Maxim. præscripta sunt.

Si quis igitur Sacris Ordinibus insignitus Canonicas Horas recitare omiserit, præter mortiferi peccati crimen, quo se obstringit, etiam à Nobis pro ejus merito, graviter punietur, si ad aures nostras id pervenire contigerit. At qui Beneficio potiuntur Ecclesiastico, si prò eo impositæ obligationi recitandi officium non paruerint, cùm ita exigendo fructus æs alienum contrahant, ideò nisi eo reddito, vel in Ecclesiæ fabricam, vel in pauperum subsidia erogato, liberari non possunt; circa quæ Nos servari decernimus ea, quæ Concilii Lateranensis decreto, & Constitutione B.Pii V. continentur; cujus quidem legis pœna afficiendos etiam edicimus eos, quibus ex Ecclesiastico beneficio pensio aliqua persolvitur, si ipsi Virgini Mariæ Officium parvum recitare non curaverint.

Et licèt ex causa, nempè valetudinis adversæ, ex Medici consilio, aliaque gravi, privatim possit à Clerico recitatio Canonicarum horarum omitti, publicè tamen in Ecclesia non licet; quare eas quotidiè in Choro consueto ritu recitari præcipimus, nulla obstante exadversò causa, nisi ea talis sit, ut à Nobis pro justa, urgentique cognoscatur, & approbetur, & nec Horæ quidem Officii Sanctissimæ Dei Genitricis relinquantur, ubi ex lege, seù consuetudine sunt recitandæ, sub eadem prorsùs pœna, qua qui reliqua officia deservissent, tenerentur, prout etiam Officium pro Defunctis, & reliqua à Rubricis præscripta.

Et

Et cum maledictus dicatur homo, qui facit opus Dei negligenter, Officium Divinum, præfatasque Canonicas preces qui recitat, det operam, ut verba distinctè, apertèque proferat, non præcipiti lingua involvat, glomeretque, & ante velut intercipiat, quàm ore mittat. Quod legit, curet, ut non intelligat solùm, sed etiam percipiat, peractoque officio, genuflexus prò eo, in quo deliquit, veniam à Deo precetur, & orationem illam, Sacrosanctæ, & Individuæ Trinitati &c. devotæ, ac attentè recitare recordetur.

Et quia in Cathedrali Ecclesia, aliisque Collegiatis, in quibus ordo, & ratio Ecclesiasticæ Disciplinæ, & Divinarum Psalmodiarum in Horis Canonicis perfecta methodus elucere debet, Nos Ecclesiæ nostræ, Antecessorumque nostrorum Constitutiones super his venerantes, illisque firmiter inhærentes, diligenter eas servari mandamus.

Quare Canonici, cæterique Cathedralis Ecclesiæ, aut Collegiatæ Choro addicti, modesto incessu ad Ecclesiam se conferant ad consuetum Campanæ signum, maturè dandum, & per tertiam unius horæ partem duraturum.

Quo completo, cùm transacta erit altera quarta unius horæ pars, pulsabitur parva Campanula, qua, ut Matutinum inchoetur, Canonicorum è Sacristia egressus significari solet, & tunc uno, eodemque tempore ipsi procedentes exeant. *Donatus.*

Exire autem tenebuntur, & se ad Chorum statim con-

conferre; tametsi tres tantùm Canonici adessent, cùm totidem Mansionariis, & alii, qui in ipsa Sacristia, aut extrà eam in Ecclesia, vel propè illam eo tempore existent, si ad Chorum, mora omni postposita, accedere ipsi quoquè non festinaverint, quamvis posteà accedant, nihilominùs pro tota illa hora punctabuntur.

Quemadmodùm punctari mandamus etiam illos, qui in Choro extrà propria sedilia, quæ Stalla nuncupantur in quocunque alio loco sedeant, sub quovis colorato prætextu, vel qui, cum jam in propria sede consedissent, ad aliam se posteà conferunt, etiam per breve temporis spatium, durante officio, vel Missa Conventuali.

Euntes autem in Chorum ad functiones Ecclesia-
Gabriellius. sticas obeundas, & illis jam obitis, indè redeuntes Canonici, quod pariter de Mansionariis dictum volumus, transeant semper per Sacristiæ Portam principalem, debito ordine procedentes, & cum eo silentio, reverentia, & modestia, quibus uti decet Sanctos Dei, sub pœna juliorum quinque pro Ecclesia ipsa, eritque Punctatorum onus hoc etiam adnotare, ut ea pęna Nobis consultis in distributionibus retineatur.

Eadem pęna Parochi etiam Civitatis teneantur, si in solemnioribus festivitatibus, quibus in Cathedrali ex jure, & usu debent interesse loco eis constituto, si eadem Sacristiæ Porta, ut de Canonicis, & aliis dictum est, ipsi pariter non utentur. Si verò

nul-

nullo modo dicti Parochi intervenient, nisi causam non veniendi priùs exposuerint, & probaverint Vicario nostro Generali, ad pœnam teneantur unius aurei prò eadem Cathedrali exolvendi, quod similiter adnotabunt accuratè, Nobisque deferent, supradicti Punctatores.

Erit verò processus ad Chorum in vestibus convenientibus singulorum ordini; nàm Canonici Cathedralis induent Cappam, seù superpelliceum, pro temporis qualitate cum Rocchetto; Cæteri superpelliceum, & Almutiam, quod diebus etiam ferialibus servabitur sub pœna amissionis distributionum totius illius diei, quoties contra factum fuerit.

Transeuntes ante Sacras Reliquias, reverentiam exhibeant; Ad Altare majus humiliter se inclinent; Chorum ingressi in propriis sedibus consideant, undè nulli liceat recedere antè Officium expletum, nisi muneris sui exequendi necessitas, aliter exegerit. Tùm, dato per Hebdomadarium signo Officiorum, omnibus stantibus, inchoetur. Eodemque deinceps tempore omnes sedeant, omnes assurgant, caput detegant, & genua ponant, prout officii ratio postulaverit. *Gabriellius*

Hoc illis intereà valdè commendamus, ut concorditer alternis vocibus psallentes, non properè, aut perturbate, sed devotè, & distinctè omnia pronuncient; Ut sequentem versiculum, præcedenti ab aliis nondùm absoluto, non incipiant; usque *Bernerius.*

R in

in medio uniuscujusque versiculi cessationem debitam, quæ pausa dicitur, interponant, sibique re-
Donatus. digant sæpè in memoriam memorandum illud, & verè aureum pronunciatum.

Non vox, sed votum, non musica chordula, sed cor,
Non clamor, sed amor cantat in aula Dei.

Meminerint etiam, ut secura conscientia distri-
Gabriellius. butiones lucrentur, non fortassè sufficere Choro interesse, cùm etiam canere necessum sit; Undè caveant, ne canentibus aliis, ipsi submisso murmure,
Donatus. implere se partes sui muneris putent. Privatum eo tempore Officium non recitent, non colloquantur, aut litteras legant; Sedilibus incomposito modo non insideant, non dormiant, nec rideant.

A Choro nullus discedat, nisi urgeat necessitas,
Bernerius. ac signum Chori Præfecto priùs dederit, Capitis,
Donatus. atque oculorum nutu modesto.

Perfecto subindè officio, Choristæ inter se consalutantes, & ordine procedentes, exeant; Ante Altare majus iterum inclinent; Sacris item Reliquiis reverentiam exhibeant, & Sacristiam ingredientes, modestè, ac quietè cappam, seù superpelliceum, & Rocchettum Canonici exuant, reliqui verò suam Almutiam, & Cottam.

Nullus Episcopo celebrante, vel Divinis interessente etiam Missæ Sacrum faciendi gratia, à Choro absit, nec eo tempore aliæ privatæ Missæ ex quacunque causa celebrentur.

Montius. Canonici, vel alii Choro addicti nullo modo,

seù

seù quovis sub prætextu ab illo recedant, dùm divinorum Officiorum celebrationi intersunt, celebrandi causa privatas Missas, & dùm Conventualis Missa, aut Solemnis in Ecclesia celebratur, nemo diutiùs deambulando, vel confabulando immoretur per Sacristiàm, aut etiam per mansionem illam, ubi congregari Capitulum solet, vel alibi circa Ecclesiam, sub pęna violati obedientiæ præcepti, & aliis etiam notarum arbitrio nostro taxandarum, seù Vicarii nostri Generalis.

Item in majoribus anni festivitatibus, & illis, quibus Nos ad Vesperas solemniter interveniemus, Hebdomadario pluviali induto, alii mansionarii eodem vestimenti genere ornati præcedant, illique suis statutis assistant locis; Et cum Episcopus Divinum Sacrificium solemni ritu persolvit, omnes Dignitates, & Canonici, cum omnes sint Presbyteri, Pluviale ferant, nullus, cùm Sacris vestibus induitur, cottæ sivè superpelliceo addere amictum negligat, & sicuti in genere vestium, sic & in Altarium apparatu unicolorem formam juxtà temporum qualitatem ex Romano Missali distinctam servari, jubemus. Porrò Officia Divina, Sacraque quibus Episcopus intervenerit, Pontificali semper benedictione compleri, edicimus, juxtà Pontificalis Romani præscriptum.

Prætereà, ut in omnibus Ecclesiæ muneribus obeundis appareat, resplendeatque Ecclesiastica promptitudo, volumus, ut si fortè intrà Cantorum

cœtum Layci homines numerentur, eos non aliter in publicum prodire in supplicationibus, aut Divinis Officiis recitandis, quàm Clericali veste, & linea Cotta indutos, & omnimodè ab illo arceri, si morum fœditate afficiantur.

In Matutinis tenebrarum majoris Hebdomadæ Cœremoniarum Magistri, & Sacristæ curent, ne plusquàm Sacra illa actio portendit Ecclesiastica quies subvertatur; licet enim fragor ille, qui tunc fieri permittitur, sit ad exprimendam rerum omnium perturbationem, quæ in Domini morte facta est, tamen meminisse oportet, quanto dolore per fideles Christi infandum adeò mœrorem deceat repræsentari.

Cœterùm sicut omnes, & singulos ex Clero nostro monitos esse volumus, ut Choro, & rebus Divinis in Ecclesiis intersint, nonnisi animo puro, corpore mundo, & apta, decoraque talari veste, ac linea Cotta dealbata, sic eisdem attentè, seriòque præcipimus, ut tunc temporis præcipuè, quo in actuali Dei famulatu se continent, non solùm à ridiculis, à jocis, à facetiis, à cachinnis, verbisque futilibus temerè faciendis, prorsùs temperent se, sed animum, seseque totos in Dei cultum colligant, cogitentque se tùm in Altissimi ipsius esse conspectu, & in Corona innumerabilium Angelorum, & cum eis eorum voces admisceri oportere, ut in Ecclesiis benedicere Deo cùm ipsis dignè valeant, quod ùtique illis consequi, sperare licebit, si Psalmos

mos attentè recitent, & cordo, mentæque intelligere satagant, quod ore promunt. Tandem dum his versantur, cęlestium potiùs, quàm terrenarum rerum exercitamentis devoti sciant se flectere, inclinari, & assurgere, cum ratio dictaverit officii, & ordo recitationis, quod si secùs aliquis temerè attentare præsumpserit, Nos in eum, & Ecclesiasticarum censurarum, & aliarum temporalium pœnarum animadversione insurgemus.

Molles, & prophani concentus, & qui vernacula lingua componuntur, àb Ecclesia nostra omninò secludantur, & organo, gravioribusque musicis instrumentis exceptis, alia excludantur.

Et quia Campanarum sonitus ab antiqua Ecclesiæ consuetudine ad excitandum fideles, ut Domino, Divinisque rebus assurgant, piè est adinventus, idcircò Sacristæ, seù alii, ad quos proprio ex injuncto munere spectat, tanquàm Sacrarum Turrium vigiles, & ji præcipuè, qui pro nostra Cathedrali Ecclesia sunt deputati, solertes, sollicitique sint, ut singulis quibusque temporibus, ac de more statutis horis juxtà tabellam horariam, & temporum ortus Solis in honorem Deiparæ Virginis, & in gratiarum actionem prò incarnati Verbi mysterio, ter in die, scilicet antelucanis in Aurora, & exindè meridianis, & vespertinis horis ternis ictibus Campanarum, cum Salutationem Angelicam tunc recitare omnibus recordentur, & id quidem Campanæ Majoris sonitu in Cathedrali, ac majori-

bus

bus hujus Civitatis, & Oppidorum majorum Ecclesiis, fieri præcipimus, ac deindè recurrentibus in dies majoribus, & minoribus festivitatibus juxta majorem, & minorem Solemnitatem, addatur etiam antelucanæ, ac meridianæ pulsationi, etiam aliarum Campanarum sonitus pro festiva talis diei significatione, quod pariter faciendum est in prima noctis hora antequam de more pro defunctis etiam pia orationum suffragatio annuncietur.

Eadem pariter pulsationis Campanarum discretio servetur in Divinis Officiis declamandis, & cum nos ipsi in solemnioribus anni festivitatibus Sacra operaturi, vel illarum Solemniis adesse voluerimus, nostram voluntatem rescire circa præcisam, & opportunam temporis annunciationem majori Campanarum sonitu Sacristæ teneantur.

Postquam juxtà Sacrorum Rituum præscriptum manè illius diei Feriæ Quintæ in Parasceve ob mortis Dominicæ memoriam, tota in luctum, mœstitiamque se dederit Ecclesia, conquiescat, & obmutescat omnis prorsùs quarumlibet Campanarum sonitus, illeque fusissimè tandem solvatur in explosione Hymni Angelici in solemni Sabathi sancti Sacrificio, ut resurgenti Redemptori plaudatur, & in Civitate à Cathedrali fusus Paschalis lætitiæ sonitus erumpat, illique cæterarum Ecclesiarum sonitus accedat, cuijus primarium est attributum, & per universam Diœcesim singulorum Oppidorum, seù locorum matricibus jus idem esse statuimus, ita

ut

ut neque Regulares; neque alii qualitercunque exempti, ſeù privilegiati Clerici, ſeù Laycorum Confratriæ pœnam in Lateranenſi Concilio impoſitam ſub Leone Decimo evadere poſſint.

Idem ſervari volumus cùm pro aliquo pergrandi Dei beneficio publicè collato, ſolemnis gratiarum actio in Cathedrali noſtra erit peragenda, vel cùm pro adventu Almæ Deiparæ Domus quotannis in nocte die nona Decembris Picenæ Provinciæ gaudium, & pia illius Sanctuarii veneratio erit profundenda.

Publica etiam Jejunia, & ab Eccleſia præſcripta ſerò præcedenti per Campanæ ſonitum prænunciari volumus, cura ſuper hoc Sacriſtis, ſeù deputatis, aut Parochis injuncta, quos, etiam attentos, ſollicitoſque eſſe volumus ad expellendum à malignis ſpiritibus excitatas tempeſtates, quas ſtatim, ac imminere cognoverint, Sacro deturbent ſonitu, nec ab illo ceſſent, donec fragor grandinum, impetus procellarum, & infeſta tonitrua conquieverint; Ideòque, ut virtute Dei tale beneficium in illius Populum derivetur, mandamus, ut antequam Campanæ ab Epiſcopo ſint benedictæ, in Turres, & Campanilia illas efferre nemo audeat, neque in eis quicquam prophanum inſculpatur, ſed Crux ſola, & Sacræ Virginis Deiparæ, vel Patroni, vel Sancti Titularis imago cùm milleſimo.

Et ad augendam in hac noſtra Diœceſi erga Deiparam, & Peccatorum Patronam Virginem Ma-

riam

riam venerationem, & cultum, curari volumus per Parochos, Rectoreſque Eccleſiarum; ut ſicuti ex digna noſtræ hujus Cathedralis conſuetudine practicatur, ita omnibus anni diebus Sabathi ſub veſperum, ſed ante crepuſculum in eorum Eccleſiis eiuſdem Deiparæ Laudes, ſeù Litaniæ decantentur, ſeù recitentur, dato ejus rei ſigno Campanæ ſonitu, ut Populus ad conveniendum excitetur.

CAPUT XIII.

De Miniſtris Eccleſiæ.

VT in omnibus exequendis Sacris, piiſque officiis ſuam Eccleſia retineat dignitatem; & quod de univerſali dictum eſt, eam eſſe ut Caſtrorum aciem ordinatam, idem de noſtra verificari, præſtandum ſit, volumus, atque edicimus ſingulos Eccleſiarum noſtrarum Miniſtros, Officiales, ac Deputatos, & inſervientes, vel per Noſmet, vel per Capitulum, Canonicoſque eligendos, ita ſuas Partes adimpleturos eſſe, ut nemo, vel ſuas negligat, vel occupet alienas, juſſumque munus ita quemlibet per ſeipſum obire, ut ne ſibi in eo alium ſubſtituere ſit permiſſum, quod ſi tales, qui Eccleſiæ ſunt neceſſarii, deſint Miniſtri, adhibitis Conſultatione Canonicorum, ſivè quorum intereſt, opera, provideri curabimus.

At munus Præfecti Chori, quod in Cathedrali no-

nostra Archidiacono, & in Collegiata Terræ Ophidæ Priori, seù illorum vice, ipsis absentibus, Antiquiori ex Canonicis ex vetustis Antecessorum nostrorum Constitutionibus injunctum esse reperimus, ita per ipsos exerceri decernimus, & mandamus, ut sicuti primi dignitate locoque habentur, ita cœteri omnes ab ipsis benè vivendi, peragendiquè in Dei famulatu exempla, normamque morum, & disciplinæ sumere valeant.

Præfectus Chori.

Monitio tit. de off. eiusq; Chori Præfec.

Hujus autem Præfecti curā erit, ut nihil in Divinis Officiis prætermittatur, quod Ecclesiasticæ Disciplinæ ratio, Sacrorumque Rituum ordo requirit, nihilque absurdè, nihil præposterè, nihil perperàm, nihil indecorè fiat, & si quem minùs aptè rem agere, aut in aliquo deficere animadverterit, eum pro modo culpæ amanter, & suaviter, prout res ipsa expostulaverit, admoneat, & si quos monita respuere intellexerit, tunc si ipse ita à re fore existimaverit nobiscum conferat, vel cum nostro Vicario, ejusdemque Præfecti quoque jus erit, Nobis absentibus, aut Vicario nostro pro suo officio non interessente, benignè annuere jis, qui à Choro discedendi, necessariam causam habebunt, nondùm officiis ipsis peractis, aliaque faciendi, quæ opportunitas ipsa dispensare suadebit. Idem quoque curabit Tabellam qualibet die Sabathi renovari, & in Sacrario proponi, undè appareat, quinam in sequentibus octo diebus Hebdomadarii partes obìre, Missasque Majores, aut solemnes celebrare, & Epi-

ſtolam, ac Evangelium decantare debeant.

In reliquis etiam omnibus, quæ quomodocunque ad debitum Eccleſiæ ſervitium requiruntur invigilet diligenter, atque ut uno verbo dixerimus, ita præſit, ut in omnibus quàm poſſit maximè proſit.

Horas verò Canonicas, aut Punctato more legi, aut ſolemniùs decantari, prout ipſi ex inſtituto Ecclesiæ; adhibito, quandò opus fuerit Magiſtri Cœremoniarum conſilio, convenire videbitur.

Punctatoris Officium.

Punctatores adeſſe omninò totius Ecclesiaſticæ diſciplinæ vigor expoſtulat: Eligantur ergò, qui fide, & integritate polleant, & electio ad Capitulum ſpectet, addito in Cathedrali altero à Nobis electo, electique injuncta munera apud Nos, ſeù Vicarium noſtrum fideliter obire præſcripta forma jurent, prout in Capitulo de Punctatoribus ab Anteceſſore noſtro ſancitum videtur, & pro Collegiata Terræ Ophidæ coram Vicario foraneo Commiſſario.

In libro autem ad hoc præſcripto notent, qui vel integris divinis officiis, vel aliquibus ipſorum horis intereſſe neglexerint, vel ipſis tangentes partes non obierint, tùm illorum, qui minùs diligenter contra diſciplinam Chori, Eccleſiæque aliquid deliquerint, juxtà præſcriptas Eccleſiæ ſanctiones, & liber ipſe ſingulis menſibus, ſi ſæpiùs de eo requiſiti non fuerint in Capitulum à Punctatoribus afferatur, & Nobis, aut Vicario noſtro ſpontè pariter jiſdem præſcriptis temporibus exhibeant.

Dam-

Damna illius, quem injuria, aut odio notaverint de suo emendent, jure verò notandum prætermittentes, totius unius Hebdomadæ distributionibus careant.

Et cum à Sacris Patribus Cœremoniæ præscriptæ, nisi suum per ordinem decorè ducantur, quodammodò vilescere videantur, ideò Cæremoniarum Magistros omnem Ecclesiastici decoris, & Sacræ disciplinæ speciem, & formam præseferre oportet, nutibus enim illorum, tota pendere debet Ecclesiasticæ ordinationis executio. *Magistri Cæremoniarum*

Instructos igitur re sacra viros graves, modestos, ac humanos, urbanosque Nobis proponant Canonici; Nos enim, nonnisi jisdem virtutibus refertos seligemus, vel approbabimus; nostrum enim est, præcipuè omni mediocritate in aptitudine ordinandarum rerum majorem exposcere, qui Nos cæteris instructiores, fulgentioresque demonstrare in mandatis habet:

Ipse igitur nullo loco, nulli rei, nulli actioni desit, ac sedatè, decorè, ac per silentium cuncta agenda, & suo, cuncta tempore obeunda, exemplum aliis præbeat, tùm ea humanitate, ac modestia imperet, ut pudorem non obediendi omnibus incutiat, nec asperitate, & agresti modo imperandi, detrectandi occasionem faciat; omnes verò illius nutibus, ac mandatis ità intentos, ac obedientes esse jubemus, ut Nos quoque ipsi obtemperaturi ei munus suum exequenti, simus; & si quis jussa

comtenpſerit,eum,ut diximus Chori Præfectus moneat; ipſe autem Magiſter noſter, prò ejus negligentia, ac contumacia à Nobis prò ejus merito punietur, & qui per Diœceſim fuerint à Vicariis item noſtris prò modo culpæ coerceantur.

Hujus præcipuè partes erunt Officia ex Breviarii ratione celebranda denunciare, in nihilò prætermiſſo Antiphonarum, Orationum, ſivè Lectionum ordine; item quando ſtandum, quando ſedendum, quando inclinandum caput, aut genua ponenda. Ejuſdem quoque munus erit Diaconos, vel Subdiaconos, quibus, vel Evangelium, vel Epiſtola publicè recitandum ſit, priùs in Sacriſtia audire, & inſtruere, nullumque ex eis, qui Sacerdotes ordinati fuerint in hac noſtra Diœceſi volumus ad ſacrificandum properare poſſe, quin priùs ab illo debitè ſufficienterque fuerint inſtructi. Ad ipſum etiam ſpectabit Sacrarum ſupplicationum ordinem diſponere, Sacerdotis ad ſolemne Sacrificium, aut Veſperas è Sacriſtia cum Clericorum agmine progredientis pompam inſtruere, binos incedentes, quos primos, quos ſecundos, quos cum luminibus, quos cùm Thuribulo, quos cùm libro, aliiſque neceſſariis rebus præſcribere, & eodem ordine ut revertantur curare; Canonicos cùm Nos ſolemnibus Sacris præſentes adſumus, ad Circulos maturè movere, cum verò Sacris ipſis operaturi Nos erimus, ſivè in Cathedrali, ſivè in alia Eccleſia ſingula priùs diligenter inſpicere, veſtes, Altare, Abacum, Solium Epi-

ſco-

ſcopale, ut omnia ritu præparata, inſtructaque ſint.

Ex aliis Cæremoniariis prò ſuo quiſque officio, debitoque faciat, & adimpleri cuncta procuret juxtà Sacrorum Rituum normas, quas continuò revolvere, & addiſcere præcipimus, ut aptè ritèque omnia in Sacris functionibus procedant.

Cùm pars magna decoris domus Domini è Sacrario procedat, ubi Sacræ res, Sacraque ſuppellectilia ſervantur, præparanturque, oportet, ut qui Sacriſtæ officium gerit, præcipuo amore, zeloque in Deum, ejuſque ſervitium ferveat, & ſicuti Sancta, Sacraque ſanctè, ac ſumma pietate tractanda ſunt; ſic Sacriſtæ ſollicitè, ardentique animi ſtudio curent, ut omnia, quæ curæ eorum commiſſa ſunt, mundiſſima ſemper, & nitidiſſima exhibeantur, quod ſummoperè confert ad devotionem in Laycis etiam hominibus excitandum. *Sacriſtæ officium.*

Quare pro ſui muneris adimplemento curabit, quicumque tali munere fungitur, ut ſingulis ſaltem octo diebus Sacriſtia, & Eccleſia mundetur ſcopis, non ſolum ipſa pavimenta, liminaque, ſed etiam quotidiè ante Miſſarum celebrationem Altaria diligenter aperiantur, & reviſantur panno tegumentali ſublato; ut ab omni ſorde prorsùs immunia reddantur, dein Sedes Confeſſionales, ſedilia, & Chori Stalla à pulvere attentè mundentur ſub pœna amiſſionis ratæ proviſionis, ſeù ſtipendii ad rationem illius Hebdomadæ, qua debito modo ſervitium

tàm

tàm circà prædicta, quàm etiam alia ad eos ſpectantia, omiſſum fuerit, & Clerici inſervientes, ſeù alii, ad quos ſpectat, de eorum omiſſione à Sacriſta in liberculo notentur, ut etiam Nobis exhibeatur.

Item Sacriſta curabit, ut manutergii fons pro Sacerdotibus, limpidis aquis manè cujuſque diei renovandis ſemper abundet, & mappæ, ſeù linteola pro tergendis manibus Sacerdotum, ſingulis ſaltem octo diebus noviter dealbata apponantur, quibus nullus ex Clericis inſervientibus omninò uti audeat. Suppellex Sacriſtiæ omnis in armariis, loculiſque ſuis rectè recondatur, ac providi Curatoris more, ut fracta, diſſutaque ſarciatur, ſivè ut in parte corroſa cedatur, in alteriuſque rei neceſſariæ uſum formetur, & ſæpè pulvere, tineis, cæteriſque ſordibus excutiatur, mundetur. Argentea ab aliis vaſibus, lineam ab alia veſte ſeparari jubebit, atque hanc quidem frequenter lavari, ac nonniſi puram, candidam, mundam, & nulla parte laceram, aut vitiatam adhiberi permittat, præcipuè & corporalia, pallas, ac purificatoria ſummo ſtudio nitidiſſima, & abſque ulla ſorde, ſeù ſciſſura ſemper appareant. Vini optimi perlucidas amphoras deterſis in crateribus, ac hoſtiarum recentium, tenuiumque copiam requiſitam deficere nullo pacto ſinet. Item ut oleum, ceraque, cerei, candelæque, & lampades quot, quoquo tempore, quoquo loco opus eſt, incendantur; Eccleſiam vel ſerico exornari, vel aulæis

lætis

læis sterni, festa fronde fulciri; Altaria ritu vestiri, ornarique, festis præsertim diebus, & totum sæpè verri, & omni sorde purgari, excolique sacrum limen, solùm, & fornices; sivè laquearia: jubebit Divinorum Officiorum statas horas servari, signumque ad ea conveniendi in tempore dari omninò illis ipsis horis, quæ primùm Decretis Apostolicæ Visitationis, & Synodalium hujus Diœcesis Constitutionum, ac deindè Sacræ Congregationis Episcoporum definitione præstitutæ fuerunt, nempè ut signum Campanæ pro coadunandis Canonicis, & Clericis ad Matutinum inchoetur oriente Sole, & finito signo expectetur adhuc per quartam partem horæ, et tunc, et non priùs Matutinum inchoetur, quo finito, congruoque spatio intercedente pro Missarum privatarum celebratione, præbeantur alia signa adæquata Campanarum pulsatione ad alias horas Canonicas, Missamquè majorem, idemque faciat suo tempore pro Vesperarum officio: quoties contra factum fuerit, noster Vicarius Generalis, vel eo absente Archidiaconus, seù alia prima Ecclesiæ cujusque dignitas, seù Canonicus Antiquior, errantes Subsacristas præcepto pęnali injuncto, vel de non egrediendo Ecclesiam per totam illam diem, vel alio etiam graviori coerceant, nec & ipsum Sacristam immunem à pęna evadere sinant, si & ipsum verè in culpa fuisse compertum fuerit.

S.Congr.Rit. die 16. Sept. 1606.

Item Sacristæ curent aquam benedictam singulis saltem octo diebus renovari, & Sacras Particulas

pro

pro communicandis octiduo pariter. In Sacristia non solùm sæculares inaniter adesse prohibebunt; verùm etiam Clericorum insolentiam, jocosque compescent, silentiumque in ea servari monebunt. Insuper omni studio cavebunt, ne Sacra suppellex ullo pacto ad usus prophanos commodetur, vel adhibeatur, illamque in ipsa Sacristia Laicorum manibus contrectari non patientur.

Pallia pileosque, aliasque non Sacras vestes, quæ à Sacerdotibus celebraturis deponuntur nullo pacto supra mensam Sacrorum indumentorum locari patiatur; quod si Sacristæ monenti aliquis audacter resistere voluerit, pęnam suspensionis incurrat, & à celebratione ipso facto arceatur.

Nullo pacto prophanarum rerum contractus, eduliorum appositiones, exhibitionesque fieri intra Sacristiæ ambitum, Sacrista, sivè alii Custodes sinant, & quos venditores fructuum, vel aliarum rerum supra gradus atrii ad portam majorem Ecclesiæ invenerint, statim ab eo loco deturbent, abiiciantque sub pęna à Nobis taxanda.

Et cùm in Cathedrali nostra, ubi prò ejusdem magnificentia, ac dignitate tres alii eidem Subministri in nigris vestibus, & linea cotta, adjuncti sunt, quasi ad sensum Sacræ Tridentinæ Synodi pro cęteris minorum ordinum officiis, ostiariorum, pulsatione campanarum, luminum accensione, ac similium specialiter exercendis, & alii etiam quatuor juniores, qui in vestibus rubeis, & cotta prò c e-

Trid. sess. 23. cap. 17.

Clerici in minoribus inservientes.

celebratione Missarum, aliarumque rerum ministerio, continuò Ecclesiæ deseruiunt, sintque etiam alii deputati, Magister, seù Præfectus musicæ, Cantores, & Organistæ, ideoque pro tàm multiplici Ministrorum, & inseruientium cœtu, major quædam cujusdam viri præfulgentiori auctoritate pollentis specialis requiratur assistentia, commendantes majoris Sacristæ munus per personam unius ex Canonicis exerceri, illud pro eorum pietate, ac in rebus Ecclesiæ affectione, & zelo, ita exerceri cupimus, & Pastorali auctoritate mandamus, ut qui à Capitulo ad tale munus quotannis electus fuerit, vel confirmatus, omnibus prædictis toto animo superintendat, & quæ in dies minui, ac labefactari viderit, emendet, negligentes arguat, Nobisque super emergentibus, cùm opus fuerit, conferat, & sæpè sæpiùs Altaria visitare, & revisere non negligat.

Sacrista maior.

Inter alios Ecclesiæ ministros, bonorum quoque temporalium ad illius fabricam spectantium Oeconomus adnumeratur. Is igitur, qui fide, rerum gerendarum aptitudine, diligentia, ac dexteritate polleat per Capitulum de more selectus, & approbatus, librum habeat in quo tantummodò descripta sint bona, proventus quicunque tàm censuum, Decimarum affictus, aliique redditus ad Ecclesiæ eiusdem fabricam spectantium, & illorum exactiones, & introitus, & alium librum, in quo venditiones frugum, & exitus clarè, & distinctè adnotetur,

Oeconomus Ecclesiæ Cathedralis.

aliumque expensarum quotidianarum liberculum, qui singulis mensibus exhiberi possit, & subscribi pro illarum approbatione à Canonicis Camerariis, & in fine cuiuslibet anni rationem exactam, & distinctam reddat de omnibus introitibus, & exitibus pœnès Canonicos Revisores ad id à Capitulo Deputatos, quorum partes erunt, ut omni cùm solertia, computa solidentur, & sententia vel absolutoria, vel condemnatoria Oeconomi proferatur, ac scripto in eisdem libris describatur, quæ omnia terminari, & terminata, definitaque Nobis exhiberi per Oeconomum volumus, sub pœna suspennonis in Decretis à Sacra Congregatione approbatis super hac re inflicta.

Depositarius pecuniarum fabricæ Ecclesiæ.

Insuper idem Oeconomus pecunias ex venditione frugum, & aliis quibuscunque exactionibus retractas quamprimùm pœnès Depositarium prò introitibus Ecclesiæ distinctè per Capitulum paritèr electum, & approbatum, deponat, & Depositarius pro expensis necessariis,& consuetis eas soluat mandato per Cancellarium facto, & per Camerarios subscripto,solitoque signo munito, & per Canonicũ Deputatum in libro registretur, juxtà tamen facultates à Capitulo factas, cùm clara, & distincta expressione causæ, pro qua solutiones fieri debeant, idemque seruetur, quandocunque Oeconomus ipse mandato pariter, ut supra formato, tradere consignareque debet frumenta pro portionibus Ministris debitis; Quod si huic ordinationi controuentum esse

esse revisores viderint, res damno Oeconomi, seù Depositarii cedat. Frumenta, cæterasque fruges, aliasque res vendibiles Oeconomus non vendat, quàm ipse, & si opus fuerit, cùm assistentia Camerariorum pro tempore, & semper cum speciali Capituli Decreto.

Depositarius Ecclesiæ in libro diligenter describat, & adnotet distinctè pecunias sibi solutas ab Oeconomo, seù ab aliis Debitoribus, cùm expressione diei, mensis, & anni, nominum persoluentium, & rei, à qua pecunias ipsas asseruerint peruenire, quæ omnia cohærentia sunt ordinationibus aliàs factis per Reverendissimum Episcopum Donatum, & quæ in Tabella in loco Capituli exponi solita, renovari, & describi mandamus.

CAPUT XIV.

De Canonicis, & Capitulo.

CAnonicorum Dignitati, & nomini, morum probitas, vitæ Sanctitas, & Ecclesiasticæ Disciplinæ cultus ita respondeant, ut meritò Clericalis vitæ norma, & exemplum dici, dignèque Ecclesiæ Senatum implere possint, & sicuti in Cathedrali nostra post Episcopi amplitudinem, Archidiaconus, & Canonici primum honoris locum tenent, ita etiam pietatis, ac religionis laude cæteros præcellant: Eorum munus est, quæ *Concil. Trid. sess. 24. de Refor. c. 12.*

ad ejusdem Cathedralis administrationem, & cultum pertinent diligenter curare, Episcopo Consiliarios assidere, divinas laudes non vocis tantùm modulatione, sed cordis devotione certis horis in Ecclesia celebrare, taliterque in Divinis peragendis Officiis se corpore pariter, & mente componere, quò Deo simul cultum gratum exhibere, & Populo consideranti devotionem augere valeant.

Trid. sess. 21. de Refo. c. 9. sess. 23. de Refor. c. 8. & sess. 25. de Refor. c. 1. S. Congr. 7. April. 1618. Flos. Nic. v. Canonicis. nu. 16. Syn. Mediol.

Ad hoc autem ut cunctis pateat, quanti per ipsos faciendum eorum munus sit, monita D. Caroli ad Portam Sacristiæ loco conspicuo in Tabellæ descripta continuò volumus adesse, iis enim ad Dei laudes persoluendas alacriùs incitari posse speramus.

Antequam autem quis acquisiti Canonicatus adeat possessionem, consuetum, ex præscripta forma juramentum præstet, tàm apud Nos, quàm apud ipsos Canonicos in Capitulo, si fructus suos facere vult.

Singulis Hebdomadis Sacerdos Canonicorum numero hebdomadarius constitutus, Officiorum Divinorum celebrationi præsideat, Officiaque Sacra faciat de more, & juxtà Sacrarum Cœremoniarum præscripta: Cœteri Canonici assistentes Sacris solemniis Episcopo; præscriptis in Cæremoniali Ritibus, maturè, ac devotè fungantur: Ille ad solemne Sacrificium, aliaque Divina Officia properaturo, Canonici, & Clerici omnes, cujuscunque Ordinis, ad eum deducendum, ut moris est, suas in ædes conveniant, prodeuntem reverentissimè salu-

salutatum sequantur, primo Canonici ex interiori aula, inde ab alia cæteri suo ordine, parique ratione à Sacris ad easdem ædes reducant, seruatis super hoc declarationibus per Sacram Rituum Congregationem editis sub die 20. Decembris 1606. & de anno 1607. distinctiùs explanatis.

His enunciatis, cùm ad Ecclesiæ nostræ Capitulum, & Canonicos spectent non solum, quæ ad illius Dignitatem seruandam, reddituumque administrationem ut supra disponere, sed ad suorum quoque reddituum, & jurisdictionum manutentionem, & conseruationem, invigilare, & providere, ideoque super iisdem disponendis, dirigendisque, frequentiori modo eos congregari capitularitèr conveniat, & oporteat; Nos ut in his Synodalibus Constitutionibus consultò ac providè disponantur etiam, quæ ad ejusdem Capituli Dignitatem, libertatem, & Canonicorum utilitatem ritè per alias Constitutiones, vel Antecessorum nostrorum, vel Apostolicorum Visitatorum sunt ordinata, non recedendo ab his, quæ Reverendissimus Leonardus Marinus Archiepiscopus Lancianensis Apostolicus Visitator providè sancivit, & aliis antiquis ipsius Capituli, & Canonicorum Constitutionibus, quas Nos in iis, quæ Tridentinæ Synodi Constitutionibus non adversantur tàm circà modum celebrandi Capitula, quàm super aliis quibuscunque rebus in dictis Capitulis disponendis, præcipuè Decreta Reverendiss. Episcopi Camajani servari mandamus. *Capitulum.*

Qua-

Quare conſueta Capitula de more die Sabbathi habeantur, noſtro Vicario Generali aſſiſtentiam præbente,& à pia Divini Spiritus invocatione ſumpto principio, per eos, ad quos ſpectat diſtinctè proponantur, quæ in Capitulo ſunt tractanda, & diſcutienda, quibus propoſitis, ſedentibus omnibus in locis ſibi convenientibus in æde ad tales Cõgregationes deputata, omnibus aliis tacentibus incipiat primus ſuper propoſitis dicere ſuam opinionem cum rationibus, deindè gradatìm ſequantur alii, & nullus impediat, ſeù legentem interrumpat, ſi aliquis, cui dicere contigerit ratione præcedentiæ noluerit dicere, dicat alius immediatè ſubſequens, & gradatìm, & ſi quis noluerit dicere, ſi vult, poſt omnes dicat.

c. De ijs, quæ à maiori parte Capituli fiunt.

Quidquid in Capitulo eſt deliberandum, licèt in eo viua voce omnes conſentiant, nihilominùs firmetur, & concludatur votis ſecretis per ſuffragia, & ſi ſecus factum fuerit, quidquid fiat, ſit nullum, irritum, & inane, & Notarius quiſquis ſit, qui ſcripſerit facta in Capitulo aliter, quàm ſupra diximus concluſa votis ſecretis, excommunicatus lata ſententia exiſtat.

Si quis verò in Capitulo, qua Dignitate ſit, abſque commiſſione Capituli capitulariter facta, præſumat in rebus quibuſcumque, etiam minimis ſpectantibus ad Capitulum, ſive ad Eccleſiam Cathedralem tàm reſpectu juriſdictionum, & proventuum Capituli, aliquid diſponere facere, tentare,

& ne-

& negociari, exceptis Camerariis, quibus non prohibetur ad referendum tamen tantùm in Capitulo, sit privatus per annum voce activa, & passiva ipso facto in Capitulo, nisi tamen ageretur de rebus utilibus (quarum approbatio pendere debet à resolutione Capituli) & si tentaverit talis transgressor post hujusmodi privationem uti voce activa, sivè passiva, ultra dictam pęnam sit interdictus ab ingressu Ecclesiæ per annum,

Addendo, quod si quis præsumpserit ex Canonicis referre extrà Capitulum in quocumque loco, aut quæ in eodem Capitulo tractanda sunt, negocia, donec fuerint in discussione, & antequàm fuerint determinata, quæ sub silentio, & secretò custodiendà sunt, quibuscunque personis revelare, suspensus existat, si super re gravi, & de præjudicio agatur.

Cùm proponendi fuerint pro servitio Ecclesiæ novi Ministri, per octo dies antè in Capitulo eorum nomina de more præconizentur, & in subsequenti, si orta controversia inter Capitulares electio conclusa legitimè non fuerit, re ad Episcopum delata, ipse ex officio provideat.

De redditibus, exactionibus, rebusque quibuscunque ad Capitulum spectantibus distinctè in separatis, & peculiaribus libris describendis, annotandisque per Ministros ad id deputatos ratio ad ejusdem Capituli arbitrium quocunque tempore reddatur, sed in fine anni per Canonicos Revisores

om-

omninò computa omnia distinctè annuatim revideantur, & solidentur, sententiaque revisionis, & solidationis data, in libris registretur, si verò Deputati, aut qui ad id tenentur elapso anno ultràmensem proprii muneris executionem distulerint, sub pœna ut suprà de aliis Revisoribus rerum ad Ecclesiam ipsam spectantium sancivimus juxtà formam Decretorum per Sacram Congregationem approbatorum, dummodò tamen dilatio ex justa causa per Nos judicanda, haberi non debeat.

Quotannis pariter per Canonicos ad id deputatos recognoscantur redditus, & exactiones redditũum, & eleemosynarum spectantium ad Cappellam Beatissimæ Virginis Lauretanæ in eadem Cathedrali existentem, & visis introitus, exitusque computis, & rationibus, omne quod super his resultare dignoscetur, solidatione, ac sententia accedente, in peculiari libro describatur. Idque pariter fiat de omnibus eleemosynis, & donis factis Imagini Deiparæ à S. Luca depictæ, quæ est Populo perinsignis devotionis.

Subsidiũ dotale pro pauperi puella.

Et cùm in adimplementum piæ voluntatis Joannis Pauli Coppetti Testatoris, quotannis ex bonis ad id relictis extrahendum sit subsidium dotale scutorum triginta pro pauperi puella Asculana suffragio DD. Capitularium nostræ Cathedralis eligenda, ad quos administratio dictorum bonorum legatorum spectat, ne quid à tantorum Virorum fide, solertiaque desiderari posse videatur, singulis annis,

ta-

calium reddituum exactione facta, pecunias deponi decernimus penès idoneum Depositarium, Capituli arbitrio eligendum, quibus factis, & integro habito sudsidii deposito, ad electionem puellæ nubendæ deveniendum esse mandamus, quod si Deputati omnes prædictos pios redditus ultrà annum revidere, discutere, ac solidare, & in libris specialiter comparatis adnotare distulerint, & expectato adhùc mense delegatum munus non adimpleverint, prædictis subjaceant, & ipsi pœnis. Et deputati revisores prò retroactis annis, sub eisdem pariter pœnis suas partes adimplere per totum mensem Novembris proximè futuri, teneantur.

Cùm unusquisque Canonicorum, in Capitulum cooptatur, ex antiquis Ecclesiæ sanctionibus debet in ingressu scuta duodecim cum dimidio pro pallio Sacristiæ persolvere, & Archidiaconus vigintiquinque.

Scuta quinque pro paramentis in eorum ingressu debent pariter Sacristiæ solvere novi Mansionarii, omnes id faciant ad eorum constitutionum tenorem.

Circa distributionum regulam, & Punctaturæ normam habent ex antiquis constitutionibus ritè; ac summo studio præscriptas Canonici nostræ Cathedralis, ac etiam illi Collegiatæ Ophidæ, quas Nos confirmamus, & approbamus, & in æde Capitulari in tabella eas de novo scriptas apponi omnibus conspicuas mandamus, quod item fieri præci-

pimus circa peculiares Constitutiones pro Canonicis Ophydæ in eorum æde Capitulari:

CAPUT XV.

De Beneficiis conferendis, sivè illorum collationibus, institutionibus, & Præsentationibus.

CUM Ecclesiastica Beneficia, renunciationis causa, vel alio titulo possidenda elargiri non conveniat, sed illis gerendis aptos dignosque Ministros deligere teneatur Episcopus, Nos, qui adjuvante Deo hanc sequi rationem animo meditamur, eisdem seligendis viris, qui Cathedrali, vel Collegiatis, vel aliis Ecclesiis Beneficia aliqua cum cura animarum, vel sinè, assumendi erunt, adhiberi volumus cautiones, quæ Tridentini Concilii sanctionibus edicuntur, ut ea probis, eruditis, atque in Ecclesiasticis muneribus versatis omnimodè tradantur. Et quia Beneficiorum ambitiosos Affectatores, ab illorum consecutione omninò sunt repellendi, illud hìc reticeri non patimur, quod qui studiosiùs, ambitiosiùsque emendicatis commendationibus, & petitionibus elaboraverit sustolli, is tantò longiùs ab assecutione optati muneris apparebit, imò per biennium, eum ad omne beneficium obtinendum inhabilem esse pronunciamus, qua pœna teneri volumus eos quoque, qui viventis beneficia pe-

Sess. 24. c. 18.

petierint, præter alias à Sacris Canonibus constitutas:

Eos verò, qui Nobis præsentati à Patronis alicui beneficio proponentur, si explorata eorum eruditione, & in Ecclesiasticis rebus exercitatione minùs aptos, aut requisitis carentes à Concilio Tridentino circà ætatem præscriptis, inveniemus, penitùs repellemus.

Et si Ecclesia Parochialis suo vacabit Rectore, usque dùm Parochus deligitur ex Tridentini præscripro in ea Vicarius ab Episcopo constituatur, qui Parochi vices gerat, parte fructuum congruenti pro victu assignata. *Trid.ibid.*

Porrò institutionem omnem in beneficiis, sivè Curatis, sivè simplicibus, sivè instituendi jura ad Laicos Patronos, sivè ad Regulares pertineant, sine auctoritate, & approbatione nostra factam, irritam, inanemque decernimus.

Capta per provisum beneficii possessione, juxtà præscriptas formas Inventarium omnium, & singulorum bonorum, sivè mobilium, sivè stabilium, jurium, confici mandamus, & in eo diligenter describi volumus, præcipuè statum, in quo bona stabilia reperiantur, an scilicet arboribus consita fructiferis, vel in totum illis existant viduata, & an in terminis bonæ culturæ, vel proxima dilapidationi sint, descriptionemque ipsam talis status ad Nos, sivè ad Vicarium nostrum, aut ad quem Visitatorem deputaverimus super Ecclesiasticorum bono-

rum bonificatione, deferant, ut in Cancellaria reponatur.

Insuper in libro collationum propè Archivium retinendum per Cancellarium adnotari volumus, vacationem omnium, & singulorum Beneficiorum nostræ Diœcesis, itidemque provisiones omnes de illis, quas fieri contigerit, sivè per Nos, sivè per Apostolicam Sedem, cùm Apostolicarum litterarum descriptione, seù cum illis nostræ ordinariæ collationis.

Ad evertendam à Domo nostra omnem Avaritiæ suspicionem, & simoniæ labem, pro habendis beneficiorum Diplomatibus nihil omninò prorsùs solvi volumus, præter id, quod Notario pro labore in scribendis impenso ex taxæ ratione debetur, sub pœna dupli, aliisque Nobis benè visis.

Sicut enim ordinati per simoniam ex Sacrorum Canonum dispositione pœnis afficiendi sunt; ita & illi, qui dignitates, & beneficia per eandem labem adepti sunt, quique de illis conferendis, sivè renunciandis, aut retinendis quomodolibet paciscuntur.

Beneficiorum quoque Patroni, aliique Officiales, & Ministri Ecclesiarum, sivè Societatum ab omni prorsùs retinendæ pecuniæ conditione absint in deputandis, sivè substituendis Beneficiatis, Cappellanisque ullo modo, licet quantumlibet pio, & religioso prætextu, & ne simoniæ noxa etiam devinciantur in venditione rei, cui adjunctum Benefi-

cii

cii Jurispatronatus existat, sciant ob id carius rem ipsam neque æstimari, neque vendi debere.

Et ne in Beneficiorum litibus componendis aliqua fraus, & simoniaca labes ulla delitescat, super jisdem pactiones omnes irritas, nullasque decernimus, quæ absque auctoritate Episcopi fuerint sancitæ, & qui aliter fecerit, firmaveritque pro ejus merito à Nobis punietur.

Quibus omnibus addendum duximus, ut omnem abominabilem hujusce criminis suspicionem, eruamus, quod tàm Notarios, qui nefariæ fraudis, pactionisque tabulas confecerint, quàm pactorum Internuncios, Conciliatores, Interpretesque omnes jisdem alligatos esse pœnis decernimus, quas contra Auctores ipsos Sacrorum Canonum rigor, legumque jura statuere.

Præsentatis verò notum esse volumus, eos nullo pacto, modoque admittendos à Nobis esse ad beneficiorum jura capienda, nisi inter ipsos, & præsentantes nullam injustam pactionem intervenisse juraverint.

Ecclesiis Parochialibus Præfecti moneant crebrò Populum, eos, quibus ad Ecclesiastica beneficia præsentandi, nominandi, aut eligendi jus competit, si accepto, aut pacto prætio, aut prætio æstimabili, aliquem præsentent, aut nominent, vel si præsentationis vocem vendant, sivè etiam qui contra emant, horumque etiam mediatores; illos quoque, qui licet eam ob causam nihil ipsi dederint, *Gabriellius* *Bernerius* *Donatus*

pro-

promiserintvè, ſcientes tamen, & non contradicentes paſſi fuerunt à Parentibus, conjunctis, aut etiam à quocunque extraneo quicquam dari promitti, aut remitti, eos inſuper, qui, vel Patronis, vel Collectoribus eandem ob cauſam pecunias, frumenta, vel aliud quidvis mutuaverint, aut commodaverint; vel etiam perſonales operas ex pacto præſtiterint, excommunicationi in ſimoniacos latæ, atque aliis Sacrorum Canonum pœnis ſubjacere.

Examinatores in Synodo eligendi, memores juramenti, quod præſtabunt, ſuum munus fideliter exequendi, omni humana affectione poſtpoſita, ut Concilium Tridentinum requirit, caveant, ne quid prorsùs occaſione examinis, nec ante, nec poſt recipiant, ne tàm ipſi, quàm dantes Simoniæ culpam incurrant.

Bernerius. Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. Gabriellius Bernerius. Donatus.

Cancellarii noſtræ Curiæ Epiſcopalis, quandocunque litteræ ad Beneficia, quas Bullas, aut privilegia vocant conficiendæ erunt, nec quidquam ultrà conſuetam taxam accipiant, & in illis exprimere curent ſemper omnia onera Beneficiorum.



CA-

CAPUT XVI.

De Parochis.

TAnti ponderis animarum cura pro Parochi officio existit, ut humilioris quoque deperditæ oviculæ sanguinem de manu ipsius speculatoris, strictissimè requirendum esse, Dominus edixerit.

Quare hos, qui tanquam Comministros, & Dispensatores ministeriorum Dei nobiscum in partem Pastoralis officii novimus advocatos, cum summoperè instructos in tantæ rei periculo in eorum munere exercendo cupiamus, antè omnia ad exercitia spiritualia peragenda secedere jubemus, ut injuncti sibi muneris gravitatem ex animo recogitando, quæ per ipsos explenda sint, recognoscant, necnon à Domino auxilium gratiæ suæ humiliter efflagitent; ad Romani Catechismi exindè studium, lectionemque urgemus, cùm ex illo veluti uberrimo totius Parochialis disciplinæ fonte haurire ipsi per se omnia possint. Omnes ergò, studio illius diligenter incumbant, præclarisque illis Doctrinæ præceptis, & ipsos se expleant, & alios docere satagant studiosè.

Quos verò ad Parochialium Ecclesiarum regimina Nobis opus erit assumere, non aliter quàm nostro proposito Edicto pro concursu, ac cognita,

me-

Trid. sess. 24. cap. 18. medio examine, juxtà normam in Concilio Tridentino præscriptam, coram Nobis Doctrina, discussaque per trutinam apud Nos eorum vitæ, morumque probitate, ex ejusdem Concilii sanctione peragemus, & tunc tali modo ad Pastoralem speculam evocati, juramento per eos in manibus nostris facto de fidelitate, residentia, ac rei Ecclesiasticæ conservatione, ad possessionem Ecclesiæ capiendam commendati per nostras etiam litteras dimittentur, ut Populorum, illis excipiendis non desint obsequia, & veluti filiorum erga Parentem observantiæ, & amoris, Parentumque ergà filios mutua hinc indè argumenta possint effundi.

Ad Parochiale verò munus assumpti, qui sunt Patres Curatoresque animarum, nullo pacto concrediti officii, atque procurationis munera aliis delegare valeant, sed ipsi per se omnia obeant, nisi justa, quæ Nobis probetur, de causa, impediantur, aut jis à Nobis ultrò prohibeantur; Qui secùs fecerit, pro rata parte temporis, quo officium prætermiserit, fructibus mulctabitur, aliisque etiam arbitrio nostro pœnis plectetur.

In quibus autem Ecclesiis duo sint Sacerdotes, ex æquo Animarum Curæ præpositi, suas uterque partes exequatur, suo uterque muneri præstò sit, habeantque, si ambo Parochi sint divisam ædium partem in Curam, & quisque proprios jurisdictionis suæ limites recognoscat, quibus servandis, si aliqua intercesserit differentia, nostro, vel Vicarii nostri

ſtri decidenda decreto, in compromiſſum exponatur; nunquàm verò exercendorum munerum tempora inter ipſos ita partiri volumus, ut alternis diebus, ſeptimaniſque rem gerant, & alter Sacra faciat, aliaque Parochi munia obeat, alter ab omni negocio, atque curatione vacet, ſed utrumque in Domini vinea laborare jubemus, talemque ſuæ Eccleſiæ, ac curæ aſſiduitatem præſtare, ac ſi ſoli ſibi mandata cura foret.

Et qui ſocii, Coadiutoreſque forſan Sacerdotes in Parochialibus Eccleſiis, aliiſque curam animarum habentibus adjuncti ſunt, quocunque nomine nuncupentur, ji apud ipſam Eccleſiam reſidere, & eandem in Curæ ſtatione aſſiduitatem præſtare cogantur, quam Parochus, aut Curator ipſe animarum tenetur, jiſdemque pœnis, quibus illi ſubjecti ſunt ab Epiſcopo coerceantur, ſervatis in reliquo Decretis, quæ in Viſitatione ſervanda eſſe juſſerimus.

At Parochum, animarumque deputatum Paſtorem alteri Eccleſiæ operam locare, aut alibi Miſſas celebrare, aut Cantoris partes ſuſcipere, aut ludum aperire, pueroſque mercede docere, aut aliis cujuſque rei, & procurationis muneribus ſe implicare, quibus à multiplici, vaſtoque ſuo munere abducatur, omninò vetamus, niſi à Nobis ob aliquam juſtam cauſam aliter fuerit ſcripto indultum.

Præcipuæ ſui muneris partes ex æquo ſunt, oves ſibi ad regendum creditas, non ſolùm Divini verbi

pabulò, sed opere, & exemplo docere, ut forma facti gregis ex animo fideles ministri Dei inveniantur.

Quare cùm homines à pueritia Cœlestis Doctrinæ lacte, & timoris Domini succo habere enutritos, idem sit, ac sapientiæ soliditate ad currendam salutis viam initiari, meminerint primò Parochi, pueros, quæ scire Christianum hominem decet, prò eorum capacitate magna cum cura studioque erudire, atque educare, ut sicut ætate, annisque succrescunt, insimùl religione, & pietatis disciplina adolescant.

Singulis itaque diebus Dominicis opportunioribus, quas ipsi noverint ad rem peragendam, horis, ad Campanæ sonitum, & tintinnabuli etiam præmisso signo per vicos ipsos, & vias, in Ecclesiam pueros, puellasque, seorsim tamen colligi, & coadunari curent, illisque prima Rudimenta Christianæ Fidei tradant, variæque in jis exerceant, adhibito præscripto addiscendi methodo, ac prætereà, quod maximè ad rem pertinet obedientes obsequentesque primùm Deo, deindè Parentibus, proximè Sacerdotibus, ac Senioribus reddere omninò studeant; quos verò his præceptis, doctrina, & ingenio, ac morum probitate præstantiores invenerint, his veluti Coadiutoribus utantur ad imbuendos primis Doctrinæ elementis minores pueros, tum ad eos in Ecclesiam conducendos utantur.

Ut verò opus tàm salubre, ac necessarium, quantum in Domino possumus, promoveamus, sedulò,

ac

ac seriò ex animo curari per Parochos volumus, atque jubemus, ut ubiquè locorum per Diœcesim nostram Sodalitates, quæ à Christiana Doctrina nomen habent instituantur, ut præcipuè mediante auxilio, & ope deputatorum, ac Deputatarum tàm in Visitatione Sholarum, quam in earundem Magisterio, plurium operationum labore, semper ipse Domini ager lætior in messem exuberet, atque pinguescat.

Qui, quæve Sodalitatum ipsarum ministerio adscribi curabunt, Indulgentias, & à B. Pio V., & à Gregorio XIII., & à Paulo item V. elargitas assequentur, quas quidem Populo promulgare inter Missarum solemnia, plures in anno Parochi non omittant.

Pii V. Constit. 137. ex debito. Gregorii XIII. 30. Universis. Paul. V. 36. ex credito.

Illud quoque hùc eos meminisse volumus, quæ in Capitibus de Sacramento Pœnitentiæ, & Sacramento Matrimonii sancivimus, ut si quos in ignoratione rerum fidei consenuisse animadverterint, eos quodammodò virgæ comminatione à torpore excitent; Queis etiam ex pio materni uberis cibo succurratur, nunc elata voce in eorum Ecclesiis, quando frequentior adest populus, Symbolum, nunc Dominicam Orationem, Salutationemque simul Angelicam, nunc decem præcepta, nunc alia Christianæ Doctrinæ Capita recitari, iidem Parochi curent, imò ipsi in recitatione, eorum verbo, & clamore præeuntes, omnes alios sibi reddant in subsequenti recitatione concordes, ac sæpè non solùm

ipsa capita recitent Parochi, sed etiam ex Romani Cathechismi potissimùm doctrina explicent.

Et ne secordes ignarique timore, aut erubescentia delitescant, eorum salubribus monitis expergefacti, ad haustum salutaris eloquii incitentur, & verborum etiam increpatione urgeantur, patresque ipsi familias, si non curaverint, eorum filios, vel necessariis fidei rudimentis, & orationibus imbuere, & vel imbuendos tempore, quo in Ecclesia, Christiana explicatur Doctrina, Parochi eorum nomina in scriptis redigant, & ad Nos, sivè ad Vicarium nostrum sollicitè mittere curent, ut arrepto salutaris pœnæ flagello eorum nequitiam compescendo, eos utiliter corrigamus.

Idem prætereà non negligant festis quibuscunq; diebus, & præsertim Dominicis, vel inter Missarum celebritatem, vel alio tempore magis congruo per semetipsos Sacri Verbi prædicatione, quæ omni gladio ancipiti penetrabilior est, nutantia peccatorum corda penetrare, eorumque animas à vitiis deterreant, quæ pestem Animæ afferunt, & ad illa amplectenda præstandaque pietatis officia, adhortentur, quæ nos ad divinæ fruitionis terminum, & ad summi boni rectitudinem connectant, semperque locum aliquem Sacri Evangelii, undè omnis vitæ disciplina petenda est, exponant.

Maximè verò in eo argumento eorum assiduè versetur Oratio, ut ad frequentem Sacræ Confessionis, & Communionis usum omnes inflammet;

cu-

cuperemus enim, ut hoc tàm certò salutis nostræ pignore, non solùm celebrioribus diebus, sed semel saltem in mense locupletari assuescerent, & exinde etiam desiderium Sacræ Tridentinæ Synodi adimplerent. *Trid.Synod. sess.22. c.6.*

Et cùm magìs integritatem vitæ, quàm humanæ Doctrinæ stultiloqujum in Parochis æstimemus, ideò sic illa cunctis eluceat, ut probi mores; castitatis nitor, charitatis studium, & abstinentiæ affectus ab eorum verbis, à Doctrina, & ab ingenio, non dissentiant.

Prudentissimè verò facient, si suorum Parochianorum nimiam familiaritatem vitarint, non quidem ut agrestes, horridique appareant, sed ut potiùs ab ineundis cum illis conviviis, commessationibus, risibus, ludisque abstineant, cum difficile, durumque sit, majestatem Sacerdotii, ac majoritatis decorem sustinere, ubi subditorum cœtibus immisceri contingit: Ergo Domi quantum potest se Parochus contineat, frequens in Ecclesia, rarus in foro, conuentibusque conspiciatur, & sermones ejus circa Pastoralis curæ solicitudinem versentur, & religiosi homines semper severitatem potiùs, quàm Mundi, & sæculi vanitatem redoleant. Avaritia nullo pacto sordescere conspiciantur ii, qui liberalitatem in animo, & in manibus ergà Deum, proximumque præseferre oportet; scriptum est enim, quod non solùm omnis fornicator, aut immundus, sed etiam avarus, quod est Idolorum seruitus, non ha- *ad Eph. c.5.*

habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei. Quare in expenſis, vel pro rebus Eccleſiæ manutenendis, vel pro Divino cultu amplificando, non ſtricti, non tenaces exhibeantur, ſi decorem domus Domini diligunt, ſed exemplo propriæ contributionis alios ad rem Divinam, & ſollicitent, & invitent.

Oblationes idcircò, quæ ex vetuſto Eccleſiæ inſtituto, feſtis, ſolemnibuſque diebus inter ipſum Sacrificium à Populo fiunt in ſuorum expiationem peccatorum, non improbamus; verumtamen ubi viget uſus, ut à Sacerdote colligantur, is nullo modo ab Altari diſcedat, ſed venientibus ad offerendum primum viris, deinde mulieribus, ſeorſim Crux, aut Tabella Pacis oſculo attingenda præbeatur.

c. Oblationes c. eorum. c. neque diſt. 90 ſ. 1. Decret.

Quæ verò à Meretricibus, Sacrilegis, Raptoribus, & ab implacabiles inimicitias foventibus offeruntur, juxtà antiquorum Canonum diſpoſitionem, reiiciantur; At quæ legitimè oblata fuerint, omnia ad Eccleſiæ ipſius, in qua offeruntur, cultum arbitrio noſtro impendantur, ſaluo tamen jure legitimè pro Eccleſiis hucuſque ſervato, & Sacerdos oblata ipſa ſuis precibus Deo in Populi ipſius ſalutem offerre non deſinat.

Cereas verò Imagines Tabellaſque, quæ offeruntur ex voto, licèt fractas, cadenteſque nullus audeat abſque ſcitu, permiſſuque noſtro, aut vendere, aut liquare, ut inde retractum in ipſius Ec-

cleſiæ

clesiæ usum, cultumque vertatur, nec liceat Parochis, earum rerum venditiones, locationesque permittere sub gravi pœna.

Cœterùm Parochi, sicuti Pastorum nomina, vicesque gerunt, ita in cognoscendis ovibus summo studio, diligentiaque debent impendere, ut uniuscujusque vires, valetudinem, ubertatem spiritus, vel in bonis, maximè spiritualibus, dignoscendo, pro singulorum necessitatibus, remedia salutaria possint conferre.

Studeant in primis ergò infectis ovibus morbo mederi, vel Sacramentorum ope, vel correctionis adjumento, & si quas morbidas, tabefactasque invenerint, ne aliæ exempli fœditate corrumpantur seponi curent, & si quæ sint, quæ ob earum vitia nostram cognitionem, operam, medicinamque reposcant, vel si quid per Nos corrigi, emendarique necesse sit, ad Nos deferant. Quapropter diligenter, an blasphemi aliqui in sua Parochia sint, an fœneratores ulli, an Adulteri, an Concubinarii, an Aleatores, an ebriosi, aliique palàm improbi, & flagitiis perditi sint, continuò inquirant.

Advenas, Peregrinosque qui suam Parochiam immigraverint Parochus studiosè illicò recognoscat, ut si in eis ulla mali suspicio, vel circà religionem, moresque subsit, Nos statim de eo faciat certiores.

No-

Noſcat etiam egentium, pauperumque animarum numerum, & non ſolùm eorum, qui oſtiatìm emendicare alimenta coguntur, ſed multò magis eas notent, quæ pari laborantes inopia, pudore tamen à mendicando deterrentur. Præſertìm verò advertat, ſi quæ nubiles puellæ, ſi quæ viduæ, ſi pupilli, ſi morbo, ſi ſenio gravati ſint, ut ita neceſſitatibus diſcretis, vel ea, quæ ipſe poteſt, conferat ſubſidia, vel ab aliis edi procuret, & à Nobis ipſis, iis, quibus poterimus rationibus conſuli, & ſubveniri procuret.

Et ſicuti eos omnia omnibus fieri oporteat, non ſolùm egentibus ipſis, ſed afflictis, & miſerabilium quoque perſonarum ſolatio deceat eſſe addictos, imò, & illis, quibus conſilio, & exhortatione, adjumento eſſe poſſunt, ita pari ſtudio commonemus, ut ultrò expetentibus, indigentibuſque eorum ſemper occurrat ſtudium, aut appellantibus moram ne faciant; multa enim negligentia, & poſthabita temporis opportunitate depereunt, quæ vel ipſo ſangvine repoſcere cuperemus. Quod quidem cum infirmis corpore, præcipuo modo, practicari ne ſinant; nàm ſi Nos Parochi incuria, ac ſegnitie intellexerimus, aliquem nulla expiatum Confeſſione, nulliſque munitum Sacramentis deceſſiſſe, ſeverè in eum condigna pœna inſurgemus.

Eorum quoque maxima cura erit inter ſuas

oves

oves jurgia ſedare, rixas extinguere, odia fugare, lites componere, mutuæque pacis, & amoris vincula roborare, quæ non ſolùm per ſemetipſos, ſed adhibito etiam conſilio, atque opere communium Amicorum efficere præſtabit; imò ſi opus fuerit, noſtro efflagitato, petitoque adjumento, ne extrà charitatem navantes, ſine ipſa miniſterium noſtrum exercentes, facti ſimus velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. *Paul. epiſt. 1. ad Cor. c. 13.*

Illa etiam charitatis officia, quæ à Parente expectare filii poſſunt erga defunctos propriæ curæ non prætermittat Parochus obire; Siquidem ſi poſtquam, aliquem deceſſiſſe intellexerit, ſtatim Eccleſiam intraverit, flexuſque genibus, Pſalmum De profundis cum Oratione conſueta pro eo cecinerit, & dato etiam Campanæ ſonitu per alios etiam fieri docuerit, ut plurium precibus Altiſſimus defuncti animæ miſereatur, ne in judicium intret cum ſervo ſuo, plurimum ab omnibus commendari, & à ſummo quoque Deo, ſibi tandem miſericorditer indulgeri obtinebit.

Præterea, quod ab omnibus utique fieri volumus, unuſquiſque Parochus librum habeat, in quo diligenter recenſeat omnium ſuarum Animarum ſtatum, earumque nomina, cognomina, ſexum, & ætatem. In eodem, ut quiſque naſcetur, morieturque, ut quiſque habitatum in ſua Parochia venerit, aut ex ea demigraverit quoque deſcribat, ut ex his libris non ſolùm ſemel in anno,

prout constituimus, de Animarum numero, statuque informemur, sed ut in quolibet die, & tempore de unoquoque, quem requiremus, cognitionem habeamus.

Insuper non omittant Parochi omnibus diebus incuntis Hebdomadæ festis, dies populo indicare, atque prænunciare, cum officiorum ratione, qua iidem dies colendi sunt, idemque faciant, si quæ jejuniorum tempora, & vigiliæ incidant, quod præcedenti etiam serò præsignata Campanæ alicujus pulsatione innuant; Indulgentias itidem, ac stationes, supplicationes, processiones, ac publicas Orationes ad Episcopi jussum, nutumque sedulò propalent, & si quæ officia pro mortuis, & aliæ piæ sint habendæ publicæ præces; Populos ad eas in Ecclesia diligenter invitent.

Ex Apost. 1. ad Cor. c. 2. Et cùm obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, fieri, valdè congruum, & opportunum cuicunque Christiano viro videatur, piam illam dispositionem in usum revocari volumus, ut nempè Parochi Dominicis diebus, vel peracta prædicatione, vel Missa finita moneant Populum, ut unusquisque, antequam ab Ecclesia recedat, tres Dominicas Orationes, totidemque Angelicas Salutationes recitet, enixè Deum precando.

Pro Catholicæ Ecclesiæ propagatione.

Pro Summo Pontifice.

Pro

Pro Episcopo suo.

Pro Magistratibus.

Pro peccatorum conversione.

Pro Defunctis, quorum corpora in illa Ecclesia sunt.

Pro avertenda imminenti calamitate.

Iisdem Dominicis, festisque diebus Vesperarum officia decantare Parochus, si adjutorem aliquem ex aliis Sacerdotibus, sive Clericis habeat, omninò in propria Ecclesia procuret, & erga Beatam Virginem, Sacrosancti Rosarii devotionem, vel aliquod spirituale exercitium pro fælici morte obtinenda, studeat promovere; ita enim, qui Populi ducatum gerit, per probata exercitamenta, suos milites ad capessendum Regnum Dei (quod nonnisi in assidua, & violenta Dei oratione rapitur) & instruat, & ad Victoriam, coronamque præcedat.

In administratione Sacramentorum, de illorum natura, & virtute profusè, doctèque disserat, & omnia servari curet, quæ circa suis propriis locis latè proposuimus observari.

Suam verò Ecclesiam quisque Parochus propriam ut sponsam excolat, & in ea perpolienda, ornandaque veras animi sui delicias carpat, ut semper munda, semper nitens, semper læta videatur; Quod quidem non indubium argumentum est, eum, ita suis probis moribus, & Christianæ vitæ institutis, commissam sibi plebem

imbuere ac curare, ut ejus vita, veluti Sponsæ unius pudor, honestas, obsequium, Sanctitas, religioque explendescat; & hoc de facili assequetur, si ab ipso suæ vocationis exordio, verùm ergà suam Ecclesiam, veluti in Sponsam, amorem innuat.

Qua de causa à propria Ecclesia non solùm se abesse non patiatur, ut sæcularibus negociis, ludis, venationibus, sylvaticisque excursibus occupetur, verùm ne, ut in alia celebret, suam deserat, nisi fortè alia Ecclesia in Parochia fuerit, in qua Sacrificium ea die fiat; quo casu, Populum de eo commonere recordetur; si secùs fecerit, non solùm Canonica coerctione reprimatur, verùm aliis etiam pœnis arbitrio nostro mulctabitur.

Quod si carnalis Sponsus muliebris Mundi cultus adeò zelator existit, ut variis prætiosisque comparandis ornatibus, omnem ferè ejus substantiam profundere non vereatur; quomodò Ecclesiarum Rectores, ea suppellectilium genera deesse patientur, quæ in illarum administratione gerenda, tenendaque necessaria sunt, & requisita? Ea igitur omnia suppellectilia pro Ecclesia quisque Parochus, & Rector habeat, comparetque intrà anni unius spatium, sub pœna, quam Nos ipsi judicaverimus explicare.

Et quia Ecclesiam Agni Sponsam, nullam habere rugam, neque maculam decet, studeant præcipuè, ne castitas, aut morum integritas violentur, & ideò arrepto disciplinæ flagello, depravata

re-

redarguant, fræna licentiis relaxata cohibeant, & tenebras, quæ fortè irrepserint, lumine Evangelicæ veritatis exterminent.

Ad effugiendam verò omnis turpis lucri, & avaritiæ suspicionem, iidem se rogari non curent de ultimis testantium voluntatibus, quod si fortè non possint effugere, ubi Notariorum copia non suppetit, nihil pro labore, seù rogitu percipiant.

Porrò si fortè aliquem ex Parochis ad aliam regendam Ecclesiam transire deceat, non ante discedat, quàm Successorem de statu illius, quam relinquit, diligenter non instruat, illique non consignet libros Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonio junctorum, bonorum stabilium, exactionum, decimarum, omniumque Ecclesiæ Jurium, Capitum item hominum, ac omnium rerum, quæ in Sacristia, ac in Ecclesia erunt, Inventarium.

Congreg. pro discutiendis casibus conscientiæ.

Demùm cum convenire sæpè sæpiùs in unum Parochos oporteat ad animarum lucra pertractanda, idque adimpleri velimus, non solùm per Urbanos Rectores, verùm etiam per Diœcesanos, statuimus, ut singulis mensibus, initio sumpto, post mensem à promulgatione horum Decretorum, semel per mensem tàm Urbani, quàm Diœcesani Parochi congregari non omittant, quod quidem opportunè peragere possunt eo die, quo in unaquaque eorum Ecclesia, Missarum aliquam celebrationem pro Animabus Purgatorii peragi instituerint.

Ne verò Diœcesani Parochi longiùs iter suscipe-

re

re cogantur, in plures Congregationes divisæ uniuscujusque partis singuli per turnum in propria Ecclesia singulis mensibus Conventum præfatum faciant, obitisque Sacrificiis, & pro animarum suffragio Cœremoniis, & per aliquem ex eis sermone ad Populum, vel Concione habita, in ædem Parochi postquàm modestè convenerint, ibique cibum non ad expletionem, & luxum, sed tantummodò ad refectionem aliquam, Ecclesiasticorum more benedicta mensa, sumpserint, exclusis ab eorum conversatione sæcularibus, per eum Parochum, cujus in Domo Conventus habetur, capita aliqua è Synodo hac nostra, sivè de Sacrificio Missæ, sivè de Parochorum officio, sivè de Sacramentorum administratione legentur, silentibus circùmcira dispositis in Sedibus, aliis, atque explicabuntur; hisque lectis, quæstio aliqua, sivè super jisdem Capitibus, sivè è Romano Cathechismo desumpta disputabitur, & germanè resolvetur; singuli tamen, ut viros sanctos, probosque decet, sinè immodesta altercatione, per ordinem sententiam ferent.

Post hæc conscientiæ casus, qui ad disputationem, sivè ad resolutionem pro sequenti sessione erunt discutiendi, proponantur, & indè si quis de aliquo particulari casu consulere conventum velit, venia à Parocho præsidente impetrata, rem exponat, & sententiæ ordinatim dicantur.

Postremò dies locusque ubi in sequenti mense con-

conveniendum, & item quæstio de qua disserendum in futurum colloquio erit, decernatur, in quo subtiliora, & abstrusiora relinqui jubemus; communia enim, & usu frequentiora, & ad Parochiale munus spectantia, sunt deligenda, atque his ita peractis, benignè, & cum charitate consalutati, omnes cùm benedictione recedant.

CAPUT XVII.

De residentia.

NIhil est, quod magis ad Christianæ Reipublicæ conferat felicitatem, quàm ut Pastor in suorum gregum præsentia excubet in salutem; omnes ergò quicunque Ecclesiastico Benefitio potiuntur, cui adjuncta cura Animarum sit, caveant, ne à sua statione, vigiliaque discedant, sed diù noctuque apud Ecclesiam, cui addicti sunt, remaneant, præstò semper sint eorum opera indigentibus, suaipsimet propria onera obeant, nec ea alteri delegent; nisi justo detineantur impedimento; Quod si quis mercenariorum more commissos suæ curæ greges, Ecclesiasque reliquerit, facultate, scripto à Nobis, non obtenta, & Statutis à jure pœnis punietur, & præter mortiferæ culpæ reatum, quem incurret, etiam temporis ejus, quo abfuerit, fructus non jure à se percipi, sed Ecclesiæ deberi, à qua immeritò abfuit, ut vel in ejus commodum, ornatumque

ver-

vertantur, vel in egentium alimenta erogentur, cujus rei arbitrium penès Nos erit.

C. I pervenit seq. c. 7. q. 8. de Cleric. nō resid. & cap. cum ex eo de elect. in 6. & c. exter. de Cler. non resid.

Cumquè illi verè dicantur residere, qui non solùm in Urbe, locoque, in quo Parochialem Ecclesiam, aut Curatum Beneficium habent, vivunt, sed qui in ædibus Ecclesiæ adjunctis, aut certè intrà Parochiæ fines habitant, in iisque cibum, & somnum capiunt, & ibidem quæ curæ suæ sunt ritè, rectèque adimplere velint; Idcircò ne quis alienationi corporis, & separatione loci, animo, spirituque distrahi contingat; Parochos omnes tàm Urbanos, quàm Diœcesis, adjunctam, aut quàm fieri potest maximè propinquam Domum, habitationemque habere volumus; quod si Ecclesia, aut Ædibus, aut illarum apta commoditate careat, aliam, Ecclesiam propè Parochus conducat, dùm Parochialis Domus infrà annum sumptibus eorum, ad quos pertinet, ædificetur, aut resarciatur.

Conc. Prov. Mediol. 1. p. tit. de Cleric. ædib. et in d. Conc. Med. 3. tit. de Paroch. & 4. ib. Sacr. Congr. apud Nicol. Gan. illorum tit. 4. de Cler. non resid. n. 11. Cōc. Trid. sess. 7. c. 8. de Reform. & sess. 21. c. 7.

Si verò nullo unquam tempore, Animarum, Ecclesiarumque Curatores ab illis abesse oporteret, hoc multò magis est servandum, ne sequatur, etiam si nostro beneplacito rogaremur, Dominicis Adventus, festis diebus Natalis Domini, in Quadragesima, Pascha Resurrectionis, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi celebritate, & in festo diei ipsius Ecclesiæ.

Is autem qui opportunè facultatem à Nobis, ut absens fiat, obtinuerit ad breve tempus, & suos de ea re faciat certiores, ut sciant illis de altero, qui sup-

suppleat, esse provisum, & se nonnisi invitum, coactumque abduci demonstret.

At propter implacabiles inimicitias absentiam quærere cùm nonnisi difficilè contingi posse credamus in Parocho, quem Parentis charitatem, observantiamque apud suos semper obtinere speramus, non solùm Religione morum, ac diligentia muneris sui, sed eximia benevolentia, & humanitate adversùs omnes, tamen aliquandò excitatis à Dæmone, ex ovium peccato turbinibus; si tanti mali occurreret eventus, eum ultrà annum abesse non permittemus; intrà enim tale tempus, si reconciliata gratia in concordiam cum inimicis redire non detur, poterit ipsum Beneficium alteri tradendum curare.

Jisdem quoque stare Decretis eos volumus, qui Curata Beneficia habentes, licet Regulares sint, illa ab inferiore aliquo obtinent.

Nullis verò Canonicorum ab ea assiduitate, quam unusquisque Ecclesiæ suæ debet, ultra tres menses, quolibet anno abesse liceat, quod si quis prædictum tempus excesserit, tunc dimidia parte fructuum illius anni, etiam eorum, quos ex præbenda perciperet, mulctabitur, quam partem Nos, jis, adjudicamus, qui præsentes, assiduique fuerint; Si autem iterùm abfuerit, omnes ei fructus adimentur. & contumacia excrescente, ex Sacrorum etiam Canonum jure, punietur. *Concil. Trid. sess. 24. de Reformat.*

Quisque in Cathedrali, sivè in Collegiata, Ca-

 no-

nonicatu, vel Dignitate insigniti, Parochialis tamen Ecclesiæ oneri alibi ſubſunt, apud hanc, quam in commiſſi sibi gregis curam excubare magis urget, immorari volumus, ſub pœna, cœteris non residentibus præſcripta.

Et qui triginta annis minores cauſa Studii à Nobis licentiam in ſcripto abeſſe impetrarint, ſciant nullo pacto illam sibi profuturam, si aliquem probatum virum, qui opere ſuas vices in Ecclesia gerat, nõ reliquerint, & nisi publico in aliquo Gymnasio, Theologiæ, aut Juri Pontificio operam navent, & non in alio, quam Clericali ornatu, & Tonſura per publicum incedant, & in ordinem ſaltem Subdiaconorum ſe ritè cooptari curent; Item nisi tertiò quoque menſe per litteras illius Lectoris, cujus Auditores fuerint, Nos de eorum progreſſu, in ſtudiis reddi ſtudeant certiores. Denique ultra quinquennium, hujus rei cauſa, non licere abeſſe ſciant, & similem facultatem de non residendo à Sede Apoſtolica impetratam, sine Epiſcopi conſenſu, non valere intelligant ex Pii Quarti Summi Pontifici Conſtitutione.

Porrò omnes illud ignorare nolumus, quod ab hac reſidendi lege non eximitur aliquis, ut nihil pœnæ ſit, nec ſi Sacerdotio nondùm præditus ſit, non ſi cum altero de beneficio controverſiam habeat, aut litem, non ſi fructuum pars maxima alteri reſervata ſit, non ſi quis ſenectute, aut adverſa valetudine prematur, niſi fortè ad breve tempus ei,

cu-

curationis causa abesse, à Nobis fuerit permissum, non si Coadiutorem, Consociumque teneat.

Denique non si Ecclesia ad habitandum, ædes non habeat, & postquam de reditu ad Parochialem suam semel commonitus, non paruerit, privari, abdicarique se posse sciat.

CAPUT XVIII.

De Clericis, eorumque vita, & honestate.

Ecclesia Sancta Dei, quæ terribilis ut Castrorum acies ordinata contra nequitiæ, & tenebrarum tela sumendo scutum fidei, & pulsando generosa orationum timpanum, dandoque jucundum Psalterium cùm cythara, tunc suos canit magis elata triumphos, gressibusque suis magis expedita proficiscitur ad coronam, cùm suorum militum fortitudine decorata, de se, illud audit evulgari: Quàm pulchri sunt gressus tui filia Principis, quàm speciosi sunt pedes Evangelizantium pacem; quorum quidem numeratio gressuum, ad eos videlicet attinet, qui in sortem Domini vocati, Ecclesiasticæ militiæ fastis adscribi & Clericali dignitate præfulgere obtinuerunt; Summo ergò, ac æternæ felicitatis Regno, tunc sua illa gloriosa conterminat spatia, cùm Clericorum opera, ita ejus Sanctitati noverit respondere, ut verè quisque eorum valeat affirmare: Do-

Cant. 7. Apost. ad Roman. c. 10.

minus pars hæreditatis meæ, & pars mea Dominus in terra viventium.

c. Cler. 3. in princ. et cap. Presbyt. dist. 20.

Ità ergò eorum nomini, Clericorum nostrorum omnium vitam, moresque respondere volumus, ut verè sortem Domini, benedictionemque eos assecutos fuisse videatur; quapropter modestiæ, frugalitatis, humanitatis, cæterarumque virtutum exempla se omnibus præbeant his, qui in Domo Dei sunt, & si velint magnam sanctitatis construere celsitudinem, de fundamento priùs cogitent humilitatis.

D. Aug. de verb. Dom. serm. 10. Paul. ep. 1. ad Cor. c. 2.

Et quia non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in his, quæ procedunt de ore Dei, spem in ædificationem gentium oportet habere, sese diligenter versari curent in lectione Sacrorum librorum, scilicet utriusque Testamenti, Romani Cathechismi, Concilii Tridentini, Divi Joannis Crisostomi de Sacerdotio, Divi Gregorii de Pastorali officio, & alicujus Summæ, vel Navarri, vel Sylvestrinæ, aut similium, & historiæ universalis Conciliorum, Constitutionumque Synodalium lectioni præcipuè jubemus esse intentos. Sacrarum etiam Cœremoniarum, & Rituum Regulis addiscendis, quibus & Divina officia, & Sacrificia ipsa tractantur, volumus, ut incumbant solerter, & Subdiaconos, Diaconos, Presbyterosque, qui musicæ notas non intelligunt, saltem Gregorianum, aut planum cantum edidicisse ad ritè Antiphonas, Psalmos, Missam, & Divina officia canenda, monemus, non enim ad altiores ordines admittentur sine attestatione Magistri.



Gens

Gens autem sancta, quæ nonnisi invisibili Divinitatis virtute roborata potest Inferni nequitias, profligare, debet quàm sæpissimè Angelorum esca recreari, & prætioso Corporis, & Sanguinis Domini alimento enutriri.

Itaque Sacerdotes singulis Dominicis, festisque diebus Divina Sacrificia summa animi devotione operari non omittant, Clerici in Sacris Ordinibus constituti semel saltem octo diebus, Minoribus autem initiati, singulis diebus quindecim, de Sacerdotis solemniter sacrificantis manu, Sanctissimam sumere Eucharistiam, & quidem Clericali castula ornati non differant; quod si absque necessaria causa ab his defecerint, eos Chori Præfectus, seù Rector admoneat, indè rem ad Nos deferat, si non paruerint.

Item Clerici Missæ Sacrificio quotidiè intersint devotè, Ecclesiis, quibus sunt adscripti cùm amore inserviant, & Nobis inconsultis, eas non deserant; Dominicis, festisque diebus mànè ad Missam solemnem, die, ad Vesperam conveniant, statutisque horis, locis in Quadragesima, ubi solent, & Adventu cùm cotta ad audiendum verbum Dei resideant, Doctrinam Christianam, Lectionem Theologalem, ac collationem Casuum Conscientiæ frefrequentent. *Trid. sess. 24. c. 6. de Refor.*

Omnes verò, qui sivè Ordinis, aut Beneficii ratione, ad officii Divini recitationem tenentur, suas obire partes, competentibus horis, non negligant;

Quem-

Quemadmodùm & à veteribus Patribus viris Sanctissimis factitatum esse accepimus, & ab Innocentio III. Summo Pontifice traditum est, sub pœnis per Apostolicas Constitutiones sancitis, vocalibus precibus, & etiam mentali oratione, Cæli portas frequentiùs pulsent, & piis meditationum salutarium alis in Divinæ contemplationis Cælum sese sustollant, quæ dùm unanimis, vel in Oratorio S. Philippi Nerii, vel alio pio loco exerceri continget, certatim omnes accurrere festinent, cum Sacro testetur eloquio Dominus, ibi eum manere, ubi si non plures, duo saltem, aut tres suo in nomine fuerint congregati.

Mat.b. 18.

Sacra librorum lectione eorum corda, mentesque recreent, & cælesti charitate succendant, non impuris, obscenisque librorum nugacium lectionibus, Cantionibusque inebrient; quod si fortè, his probè peractis, sciant aliquam partem temporis sibi remanere otiosam, eam seorsim à turbis cùm viris bonæ famæ, & si fieri potest Ecclesiasticis, in conversatione honesta, non in vaniloquiis, & confabulationibus, siuè in prædictorum hominum congressibus impendant.

Et cùm internam animi rectitudinem exteriori quoque corporis cultu oporteat esse conspicuam, Clerici omnes primam Tonsuram, aut Minores Ordines assecuti, habitum, & Tonsuram Clericalem gestent, & Ecclesiis, quibus adscripti sunt diligenter inserviant: nam qui in ambas partes claudi-

Conc. Trid. s.6. de Ref.

dicando, modo Clericus, modo Laicus, prout suæ levitatis error inclinat, pro suo arbitrio audet apparere, sciat, si habitum dimiserit, & instar Laici, sæcularibus negociis se immiscendo, & non ex Clericali disciplina, vitam duxerit, ac posteà, Nobis inconsultis, illum reassumpserit, privilegia Clericalia sibi nullo pacto suffragatura.

Et sess. 14. de Refor. c. 6.

In Sacris verò existentes, quique in quolibet ordine, Ecclesiastico Beneficio sunt provisi, præfato habitu, & congruenti Tonsura decimaquinta quaque die renovanda, quæ quidem Sacerdotibus major, & visibilior præ cæteris, emineat, ubique, & assiduè utantur, ne ea, qua semper gloriari debent corona, illis in despectum esse videatur; quod si secùs fecerint, suspensionis pœnæ, & fructuum amissioni ad formam Sacri Concilii Tridentini subjacebunt, quem quidem habitum, talarem esse decernimus, illoque uti semper volumus præcipuè in Missæ celebratione, ac quotiescunque in Ecclesia Sacra aliqua functio peragenda erit, quæ his muneribus obeundis, ascititiam vestem minimè suffragari declaramus; Ruri autem, & Pagis præcipuè montuosis nullo tempore ita brevioribus vestibus nostros Clericos, cujuscunque ordinis sint, uti volumus, ut sub genua non descendant, & ad ligamina tibialium saltem non attingant; sumptuosam verò elegantiam in utrisque vestibus, & in aliis indumentis, & corporis ornatibus, sicuti improbamus, ita etiam obsoletam, vel turpem gestationem vestium, & ha-

cap. duo sunt versic. inani 12. q. 8. glos. in Clem. 2. verbo Tonsura vers. circa hoc sciendum de vita, & honest. Cler. Conc. Mediolanen. 1. p. 2. tit. de Cler. c. nullus 8. & seqq. q. 4. cap. non licet 32. in fi. dist. 23. Sixti V. Const. 92.

Concil. Prou. Mediol. p. 2. tit. de Cleric. vestibus.

Clem. fin. de vita, & honest. Cleric. Cōst. B. Pii V. de Reform. Cler. Rom.

& habitudinem corporis rejicimus, ut sic, non splendeat, neque sordescat toga; Domi pariter, vel dum ruri ad honestam animi recreationem degunt, indecentes Clerico vestes adhibere vetamus, & non alias quam nigras; Vestitu interiori non item sumptuoso, fericeisque, vel aureis listis ornato, sed simplici, plano, modestoque utantur, lineaque indusia sint eis ad tegumentum corporis potiùs, quam mollia, & effæminata, ac rugosa velamina, tibialia, calceos pariter nigri, vel subobscuri coloris deferant, corrigiæque, fibulæ, ac ligulæ pariter in eodem colore pares, & à luxus fulgore alienæ; Pileo nō militaris formæ, nec vittis onusto, sed simplicitate, ac gravitate decorè referto, tegantur; Anulis, aureisque torculis, ne cingant digitos, nisi illi, quibus ex dignitate convenit, ac tùm nonnisi unicum, & in anulari deferant digito, unguentis, odoribus, si meliorem velint odorem redolere abstineant, cesitium, seù collare semper mundum compositumque gerant, nec nimis latum, & quadratæ formæ, prout circa manus non rugosos, sed planos, comptosque absque alio ornatu maniles; barbam, aut comam curiosè non enutriant, cincinnis in fronte, aut capillis hinc indè cirratis non studeant, cœsariem non affingant sibi alieno crine, nec ciprio pulvere, nec odoribus sibi reddant delibutos proprios capillos, quos non ita protendant, ut eorum extremitates imas aures excedant, aut ad occiput collare pertingant.

c. 2. ubi glos. verbo ornamētū. Clem. 2. de vita, & honest. Cler. Clem. 1. de celebr. Miss. Conc. Trid. sess. 24. de Reform. c. 6. & sess. 22. de Reform. c. 2. Mediol. Syn. 2. p. 2. tit. de Cler. vestib. c. Omnis jactantia in fin. ubi de varietate vestium Cler. & c. fin. 21. q. 4. et Clem. de celebrat. Miss. c. Cler. 25. de vita, & honestate Clericorum.

c. non liceat 32. dist. 23. et Clericus 5 & sequen. c. prohiberi, ac duobus sequen. de vita & honestate Cleric. Const. B. Pii V. de Refor. fin. dist. 41.

Sa-

Sacerdotes à ſuperiori labro omnes vel elevent, vel reſecent pilos, ne plùs, quàm par eſt, excreſcentes, aliquid in ſumptione Conſecrati Sanguinis attingat, & è contrà caveant, ne cùm in ſollicita genarum abraſione ephebi, molleſque cupiunt apparere, ætatem ſenum habeant, vitia puerorum.

Linea ſuperiori veſte, ſeù cotta nunquàm alibi, quàm in Eccleſia utantur, niſi cùm ſupplicatum procedunt, vel ad adminiſtranda Sacramenta, aut cùm Clericorum munere obeundo detinentur, eoque Clericali habitu nemo perſonatus, vel in ſcenis, ludicriſque utatur.

Et quia non foris ſolùm, aut in Eccleſia, ſed domi quoque Clericalis vita elucere debet, ex quo Religioſi hominis mores, ubique ſancti, & innocentes eſſe debent, qui cùm Parentibus, fratribus, ſuiſque vitam agunt, ex Laicorum converſatione, Clericalem diſciplinam non enervari curent, ſed ſuo potiùs exemplo, verbiſque frigeſcentem in eis reſtaurent charitatem, & ab illis, quantùm poſſunt ſe contineant in propriis cubiculis, ſecluſi, ſtudio Sacrarum rerum occupati, & cùm ad menſam communem, ubi propinquorum erit conventus, eorum benedictione, & gratiarum ad Deum actione illam ſanctificent, & ſemper frugali, ac temperato victu ſeſe contineant.

Et licet à vetita tantùm mulierum cohabitatione de quibus incontinentiæ ſuſpicio eſſe poſſit, teneantur abſtinere, ideoque matrem, ſororem, amitam, *c.1. cum ſim de cohab. Cleric. cum mulier. c. cum omnibus 81.*

dist. c. à nobis 9. c. Interdicti 16. dist. 3. c. 1. eod.

& quibus naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari, ſecùm retinere non prohibeantur, tamen, ex quo, ſi non ex illis, ex aliis illis adhærentibus occaſio poteſt oriri ſuſpicionis, optimè, & ex veterum Patrum more, conſilioque peragent, ſi ſeorſim à propinquorum cohabitatione ſe gerant, & eo caſu ſciant, nullam cùm ipſis fœminam retinere poſſe in famulam, niſi quàm forſan tempore incepti ſervitii quadrageſimum quintum annum attigiſſe comperiemus, vel niſi pro alia, facultatem ſcriptam obtinuerint à Nobis, qui qualitates perſonarum, & neceſſitatem pro animarum ſalute perpendemus, atque eodem modo, ſcripto pariter facultatem requiri, edicimus pro iis Clericis, qui ad docendum mulieres Muſicam, vel aliquam facultatem, ſeù artem fuerint evocati.

Ex vita D. Aug.

Sacr. Congr. apud Barboſ. Collect. 154. n. 19. & de offi. Paroch. p. 1. c. 6. n. 10.

Et cùm nemo magis propriè templum ſanctum ex Deo conſecratum ſit, niſi Sacerdos; ſi quis templum Dei violaverit, inquit Apoſtolus, diſperdet illum Dominus; Ideò nullus ſivè Sacerdos, ſivè ſimplex Clericus audeat ſuſpectas de concubinatu mulieres domi ſuæ alere, vel in aliena ad turpem converſationem retinere, & ſi quis habeat, vel retineat intrà nonum diem à promulgatione hujus decreti omninò dimittat, ac penitùs ſe ab illarum uſu, & converſatione removeat, omnemque prorsùs ſuſpicionem extinguat; Qui non paruerint, noſtram ſentient in eos ex Sacris Canonibus, & Tridentino Concilio ſancitis, graviſſimam pœnam irruere, & ani-

Paul. epiſt. 1. ad Cor. c. 3.

c. præter hoc 6. diſt. 32. ubi gloſ. 1.

animadverſionem, & non ſolùm eos beneficiorum fructibus, ſed Beneficiis ipſis privabimus, ab Ordinum executione ſuſpendemus, excommunicatione, necnon ſevera carceratione compeſcemus. Quod ſi Sacerdos alìquis in hujus flagitii foveam fuerit miſerrimè prolapſus, manifeſtoque de hoc crimine ita teneatur, ut res non indubia sit, si auſu temerario impuras manus ad Altare tentaverit elevare, irregularitatis nota ſe obſtricturum, eaque nisi quàm per Summum Pontificem ſolvi poſſe ſciat, idemque Subdiacono, & Diacono fieri continget, si quis eorum tali flagitio coinquinatus, Ordinis ſui munus exerceat.

c. ſi quis Epiſcop. 8. cit. Concil. Trid. c. 14. ſeſſ. 23. de Reform.

Cumque ſummoperè oporteat, Clericos indiſcriminatim cavere à negocio perambulante in tenebris, eò quia, qui amat tenebras odit lucem, ante mediam noctis horam, omnes domum ſe recipiant, neque nocturno tempore, nisi prælato lumine, & cum Clericali veſte, pedem janua efferant, si neceſſaria urgeat cauſa; quod ſi quis pulſata ſecunda hora noctis vagans deprehenſus fuerit, in carcerem ducetur, facti ſui rationem Nobis redditurus.

c. cum decorem de vita, & hon. Cler.

Armati verò Clerici aſpectus, non dici poteſt, quàm omnium oculos offendat, & quantùm à Caſtris lacrymarum, eum abeſſe, denotet, quare nemo ex noſtris Clericis audeat arma quæcunque cujuſcunque generis, ſub quovis prætextu deferre, die, vel nocte, cultellis exceptis, ad communem vitæ uſum, & in itinere, enſibus, communi gladio

c. Clerici arma de vit. & honeſt. Cler.

c. quicunq; ex Cler. 23. q. 3.

brevioribus, ubi per infesta latrociniis, aut aliter periculosa loca agitur, & quidem tunc cum nostra, aut Vicarii nostri Generalis licentia, sub pœna amissionis armorum, pecuniaria mulcta locis piis applicanda, carceris, aliisque pro locis, temporis, armorumque ratione.

c. omnibus de Cler. venat. C. qui venatorib. & seq. dist. 16. tit. de Cler. venat.

Ab illicitis venationibus omninò abstineant, & hac de causa accipitres, nec falcones habeant, nevè aucupiis, aliisque se exerceant, iis præsertim temporibus, quibus Ecclesiarum ministeriis, orationibus, & Sacrarum rerum lectionibus debent esse addicti, & qui tempore pro animi levamento aliqua non inhonesta venatione uti permittitur, non excedant conditiones præscriptas, & nostrorum bandimentorum dispositiones.

c. his igitur dist. 23. cap. Presbyt. dist. 24. dist. 35. per tot. c. quisquis 1. § nam in omnibus, dist. 4. cap. à crapula 14. de vit. & honest. Cleric. c. Cler. 15. eodem tit 5. c. Clerici 4. dist. 44.

Et ut omnes Apostolicis eruditi præceptis in Domino sobriè, & piè vivamus, commessationibus, ebrietatibus, conviviis, epulisque vacare, indecorum, ac alienum esse à Clericorum statu, edicimus; Quare omnes modum cum Ecclesiastica frugalitate, ac modestia in cibo, potuque ponant, illisque ad substentationem corporis, non ad luxuriam utantur. Ebrietati non sint dediti, nec alios ad bibendum incitent, nec bibendi, vel edendi causa, tabernas frequentent, easque, nisi cùm peregrinantur, intrent, ac tùm quoque cum mulieribus discumbere vetamus.

Ab omni ludorum exercitamento alienos esse quoscunque Clericos, jubemus, & præcipuè tessera-

rarum, alearumque ludis, quorum benè constitutas familias hæc una pestis evertit; ideoque illis non solùm ludere, sed & interesse vetamus, quod in propria quidem domo permittere prohibemus; quod si valetudinis; aut honestæ recreationis causa parva pila ludere, aut honesto alio excitationis genere uti Clericis libuerit; id quidem illis permittimus, dùm ne publicè faciant, nevè pecuniæ, aut alterius rei damnum, lucrumque intercedat, nisi quid minimum pro victoris præmio proponatur.

Item eos, qui Divinorum mysteriorum repræsentationi sunt addicti, pari studio ab omni Mimorum, joculatorum, Histrionum ludis, fabulosisque scenarum figmentis, requirit Ecclesiasticæ dignitatis honor, esse seclusos, & ob id nedùm scenis, spectaculis exhibendis, comædiisque recitandis Clerici omnes abstineant; etiam si Sacra, moralisque sit actio sine nostra speciali licentia, verùm etiam lascivis cantibus, impuris actionibus, prophanis, ridiculis, scurrilibusque nugis interessendo religiosam Ecclesiæ gravitatem non inclinent. Caveant itidem, ne fictam faciei personam addendo, & Diaboli forma, Dei imaginem immutando, larvatos se prodant, ne demùm tripudiis intersint, & choreas ducant; Circumferri enim tripudiis, & movere corpus ad numeros, vel maximam arguit animi levitatem, vel in libidinem exæstuantis est animi corruptela, qua in orbem circulosque sese cum mulieribus, puellisque implicando, Peccatores in circu-

c. Cler. hic, c. antè omnia dist. 3.

c. cler. de vit. & hon. cler.

c. Presb. dist. 34. c. Episc. dist. 33. c. non oportet de consecr.

Concil. Trid. c. 12. sess. 24. de Reform.

c. non oportet dist. 5. de cõsecrat. Ex Guilielmo Lugdunẽ. si cit. à Discipulo.

cuitu tandiù ambulant, donec in chorearum centrum, quod est Diabolus miserrimè dilabantur, sub pœnis pro Sacerdotibus suspensionis, & carcerationis per mensem, aliisque gravioribus, sicut pro eis, qui in Sacris fuerint constituti, Clericis verò reliquis non ascendendi ad altiores ordines, aliisque arbitrio nostro.

Bull. B. Pij V 48. sup. qua Navarr.

Et cum etiam alienum esse à Clericorum pietate, & humanitate noscatur, eos curiosiùs, quo Christiana exigit charitas, sontium, & reorum suppliciis, ac cruciatibus interesse; eos oratum, eo casu potiùs secedere monemus, nisi tales capite damnatos consolandi sumpserint officium; se pariter seponant cùm aliquos ad necem usque digladiari, nec impedire posse conspexerint, quod pariter faciant ubi ludentes ipsos mortis periculo implicatos concurrentium hastarum Equitum certaminibus, & taurorum indomitorum agitatione, deprehenderint.

c. Sacerdotib. in cleric. vel Mon. clem. 1 eodem tit.

c. Te quidem 11. q. 1.

Nemo insuper Ecclesiastico Benefitio prædictus, aut Sacris initiatus, ne à Divinorum officiorum cura abdicetur, alienas causas ad sæculare Tribunal actitare, seù procurationis, & advocationis munere fungi præsumat, nisi sui ipsius, aut Ecclesiæ suæ, aut egentium, miserabiliumque personarum, sivè propinquorum suorum negocium, causaque sit, prout nec Tabellionatus, sivè Notarii, aut Cancellarii munere in prophanis rebus fungantur, nec publicis Universitatum Laycorum Conciliis, actibusque referendis sese immisceant, officium capessant,

fi-

& fidejussionibus pro Laicis sine nostra licentia inserviant. Nullus insuper coram sæculari Judice ad querimonias contra Laicos, Nobis inconsultis, aut Vicario nostro, divertat, nec ullum pariter ex Clericis in foro sæculari volumus examinari absque prædicta licentia, & tunc juramentum illis per Sacerdotem exhiberi jubemus. In Criminalibus verò ad offensam, ubi corporis, aut honoris diminutio, vel offensio, vel ubi irregularitatis nota oriri potest, nullo pacto examinari permittemus; quod si permittendum esset ex causa, exhibitis Interrogatoriis, illisque per Nos, aut Vicarium nostrum recognitis, ne quid ignominiosum Clerico irrogetur, tantummodò facultas super eisdem pro examine concedetur; quod si contra prædicta attentare præsumpserint, graviter arbitratu nostro punientur.

c. 1. de fidejuss.

c. sententiam q. ne Cler. vel Mon.

Medicinam quoque, ac Chirurgicam artem tractari per nostros Clericos vetamus, ex quo vel inustionem, vel incisionem agendo, vel per incertos opinationum calles incedendo, solent sæpè Medici medicamentorum operamento à morborum cognitione abesse, & sic æger cùm potione aliquando mortem propinet.

c. sententiam q. eod.

Et cùm nullatenùs is, qui militat Deo implicari se debeat negociis sæcularibus; Ideò Clerici nullum per se, vel per alium audeant mercaturæ, seù negociationis genus exercere, aliena prædia lucrandi causa non conducant, nec censuum, reddituum, vectigalium responsionibus sese intrigent, nec ullam

Paul. ad Timoth. 3.

cùm

c. ex litteris de vit. et honest. Cleric. c. in Cler. vel Mon. Conc. Trid. c. 11. sess. 22. de Reform.

c. Cyprianus 28. q. 3. c. ne Cleric. vel Mon.

cùm conductoribus communionem, seù participationem ineant, sed tantummodò fructibus bonis, juribus suorum Beneficiorum modesti, ac diligenter addicti propriis fruantur obventibus, & aliena non occupent, nec Clericalis decoris, propriæque Dignitatis obliti, alicui, nec quidem alteri Clerico in occupatione vili sese submittant; Sæcularibus verò personis, præcipuè fœminis in his, quæ absque Sacerdotalis gradus offensione exerceri non possunt, mancipari, subiicique se non patiantur; Quare illas aperto capite famulando, brachium porrigendo nec in aliquo jis viliter ancillando deserviant, nisi voluerint Ecclesiastica per Nos objurgatione moneri, & etiam puniri.

cap. pervenit dist. 80. c. officia Cleric. de vit. & honest. Cleric.

Sacerdotes insuper, Clericosque omnes monitos esse volumus, ut ita in candelabro positi, cæteris studeant prælucere, ut cum vili in Laicorum consessu, deambulatione, vel statione se deprehendi sinent, tunc nullo modo despici, & in abiectiorem manum, modumque tractari patiantur; sed semper integra, semper salva, semper venerata suarum prærogativarum jura conservent; quod si noverint aliquam inter tractandum existimationis pati jacturam, ab illa statim se removeri occasionis periculo festinent.

Sæculares verò, Laicosque hortamur in Domino, ac monemus, ut cum Sacerdotibus, Clericisque agunt, meminisse velint, se non terrenis tantùm hominibus versari, sed cùm eis Divinæ Majestatis mi-

ministris, atque Sacerdotibus, de quibus ore prophetico Altissimus ipse testatur: Ego dixi Dii estis, *Psal. 81.*
& filii excelsi omnes. Nos igitur à sæcularibus hominibus omnibus in Civitate, ac Diœcesi nostra debito in honore haberi, & ubique jis digniori loco cedi, obviam factos honorificè salutari, nunquam sine Dignitatis respectu appellari, atque in omni re, parentum eis observantiam tribui, tradique jubemus.

At Clerici, quos studiorum causa in aliqua Universitate commorari permissu nostro patiemur, omnia, quæ ut supra præscripta de vestitu de frequenti Sacramentorum usu, deque vitæ disciplina Clericorum perindè teneant, & observent, ac si præsentes in Diœcesi nostra adessent, imò & à Præceptoribus; & Episcopo loci, tàm de his servatis, quàm de progressu testimonium in litteris ad Nos pervenire satagant non obscurè.

Omnes verò prædicti, quos vel in Diœcesi nostra, vel extrà eam commorari continget, certis, fixisque Confessoribus studeant semper ad se expiandum applicare, illosque præcipuè sibi studeant deligere, quos doctrina, morum gravitate, ac innocentia vitæ, sivè inter Capitulares, aut Parochos, aut alios quoscunque declaratione nostra noverint, præfulgere.

Et sicuti omni virtutum genere Clerum nostrum cupimus videre refertum, Hospitalitatem etiam Clericis quibuscunque Ecclesiastico Beneficio po-

titis; ſervandam proponimus, ut memores Chriſtum Dominum ſæpè ſuorum hoſpitium ſubiiſſe, ſalutemque indè hoſpitibus attuliſſe, hoſpitalitatem ea, quam decet Viros ſanctos, & Servos Dei cùm comitate, atque amore modeſtè, ac ſine luxu aliquo exerceant, atque miniſtrent, cui muneri ritè obeundo, ex illo potiſſimè incitentur, quod teneri Epiſcopum ipſum Sanctiſſimus Epiſcoporum Primas, & Martyr Clemens Apoſtolica Conſtitutione ſancivit. Adveniente enim aliundè Epiſcopum non benignè ſolùm, & perhonorificè hoſpitio excipiendum eſſe tradit, ſed ut Populo benedicat, eumque, ut ſalutifero alloquatur ſermone quadam ſanctæ charitatis vi cogendum, quæ omninò eſſent agenda multò fuſiùs, atque perhonorificentiùs, ſi Legatus Apoſtolicus, aut Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis in Urbem, aut Diœceſim noſtram adventaret.

Cœterùm efformari librum, in quo Cleri noſtri totius ſtatus, conditioque cognita, perſpectaque ſit per unum ex Synodi Secretariis jubemus, ut in eum librum omnium Diœceſanorum Clericorum nomina, Cognomina, Patria, ætas, Beneficia, Ordines ſingulorum cum ſpecifica mentione ingenii, Doctrinæ, morum, vitæ ac ſtudiorum ratione collata; appareat, qualis, quantuſque quiſque ſit, librumque ipſum Nobis tradi, conſignarique jubemus.

Præfata verò omnia, quæ de vitæ diſciplina, ac mo-

moribus Clericorum decrevimus obſervanda, ab omnibus Diœceſis noſtræ Clericis teneri, obſervarique mandamus, ut qui non paruerint, ſeù Sacrorum Canonum pœnis, ſeù pro cujuſque merito pecunia in pium uſum eroganda mulctabuntur, aut ab Ordinum ſuorum munere ſuſpendentur, aut carceris, exilii, gravioriſque ſupplicii, ſi opus fuerit animadverſione coercebuntur.

Denique cùm Clericorum noſtrorum omnium innocens vita, probique mores gaudium noſtrum, & noſtra ſuper omni lapide prætioſior debeat eſſe corona, eos in Domino profuſis viribus obſecramus, atque etiam jure noſtro monemus, ut ubique morum ſuorum innocentia præfulgentes, tempus tacendi, tempus loquendi, atque agendi prudentiam, & in ſuperiorem obſequium obſervantes, cùm omni humilitate, & patientia ſupportantes invicem in charitate, vocationem ſanctam, qua vocati ſunt, impleant, & ejus, qui cum percuteretur, non repercutiebat, cùm maledictus non maledicebat, manſuetudinem, atque modeſtiam imitentur; quod ſi quis vel ſeditione, aut ulla verborum procacitate, aut contentione proximorum ſuorum bono detractet, Eccleſiæque pacem auſus fuerit immutare, humilitatem noſtram ad eorundem Sacrorum Canonum ſeveritatem, meritò contra ſe ſentient appellari.

c. ſic Rector diſt. 43. Paul. ad Philip. 4.

Eccl. c. 3.

Pet. ep. 1. c. 2. c. accuſator. c. ſi quis diſt. 90. c. ſeditionar. c. cleric. maled. c. invidens diſt. 46.

Hùc etiam pertinet enunciare, ut ſi quis Clericorum peregrinationes ad Sancta Loca, ſivè ad Urbem Ro-

De Cleric. & Laic. peregr.

Romam, sivè ad Almam Domum Lauretanam, aut ad Sanctum Jacobum in Compostellam, aut in Hierusalem, & Palæstinam, sivè omninò alia insignia templa subeundi, & Sanctorum Corpora, Sacrasque Reliquias visendi, ac venerandi studio peregrinari statuerit, prædicta omnia, quæ ad suum ordinem, statumque pertinet, satagat tenere, & sine benedictione nostra, nostrisque dimissoriis, & testimonialibus litteris non discedat. Proficiscens Sacra Confessione, ac Communione expiatus, Itinerarii Clericorum precibus quotidiè innitatur, & in toto itinere eam modestiam, integritatemque morum præstet, ut non habitu solùm, sed vita quoque Clericus Sacerdosque dignoscatur.

Laici verò homines, si eodem peregrinandi devotionis studio teneantur, sine proprii Parochi consilio, ac benedictione, id ne exquantur, & iter, nisi post Sacram Confessionem, sumpto Sanctissimo in corde Viatorum pane, ne ingrediantur, & ita precibus, orationibus, ac modestia in via exerceantur, ut Sanctos Angelos Custodes comites habere mereantur, ne unquam ad lapidem eorum pedes offendant.



CAPUT XIX.

De Sanctis.

NOstra intereſt, Sanctis, qui utique pro nobis eorum opem invocantibus, Deum orant, ſuaſque preces ad Deum interponunt, aliquem exhibere cultum; verùm ne cultus Dei cùm eo, qui congruit Sanctis, confundatur, Theologi trinam cultus ſpeciem aſſignant, Latriam, pro Deo, quæ adoratio, Duliam pro Sanctis, quæ veneratio nuncupatur, & Hyperduliam pro Virgine Deipara pro ſpeciali gloria, & Sanctitate, qua aliis ſupereminet. Docere autem quomodo hujuſmodi varii cultus exercendi ſint, Parochorum eſt, quibus etiam ex officio incumbit monere ſuos, eos dumtaxàt Sanctos eſſe invocandos, allegandos, & venerandos, quos in Cœlis Deo perfrui cum Eccleſia credimus.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. de invoc. Sanct.

c. 1. de Relig. & venerat. Sanctor.

CAPUT XX.

De Reliquiis, & Miraculis.

NE Sanctorum Reliquiæ debita veneratione careant, noſtrarum Eccleſiarum Rectoribus præcipimus, ut primò cum legitimis autenticis habeant ab Ordinario recognitas, & approbatas. Poſteà, ut cum opus eſt videri poſſint, condant eas in Va-

c. Corp. diſt. 2. de conſecr.

Vasculis, aliqua prætiosa transparente materia confectis; quæ autem sub Altaribus, aliisque subterraneis locis conditæ sunt, si nullo modo inspici queant, locum aperiri, & eas indè extrahi vetamus.

In privatis Ædibus, & Sæcularium Domibus, Sacras insignes Reliquias asservari, ad Infirmos deferri, à sæcularibus tangi, & ab una in aliam Ecclesiam, vel ab uno in aliud Oppidum sine solemni pompa, & nostra licentia transferri prohibemus. Ante Reliquias, præsertim si Patroni corpus sit, aut ejusdem insignis aliqua pars perpetuum colluceat lumen, nisi quod inseruit Eucharistiæ, etiam pro Reliquiarum cultu valere posse videatur. Saltem semel in anno in aliquibus anni solemnioribus diebus, vel talium Sanctorum diebus festis, reliquiæ publicæ fidelium venerationi exponantur, & solemniter Populo ostendantur per Sacerdotem pluviali, vel stola, & superpelliceo indutum pluribus cereis accensis circùm circà locatis, & quandiù manent expositæ, grandioribus semper accensis candelis, venerentur, custodientibus eas aliquibus de Clero. In reliquis quæ per Sacros ritus, & quæ circà loculos, & armaria Reliquiarum nostra in Visitatione præscripta sunt, serventur.

Cumq; Nos benedicente Domino Corpus S. Benedicti Martyris, quod jampridem ab antiquioribus Ecclesiæ temporibus in Sacra Divi Petri in Castello hujus Civitatis æde, asservatum novimus, jam invenerimus, inventumque recognoverimus cum

au-

authenticis nostrorum Antecessorum Episcoporum documentis, nempè D. Raynaldi de anno 1192. Isaach, qui de anno 1340. ex eodem corpore parte summa capitis abstracta, eam in Cathedralem Ecclesiam prætiosa lamina argentea circumligatam, & inclusam, ad venerationem perhonorificè detulit, & postremò Prosperi de Caffarellis, qui occasione renovationis ejusdem Ecclesiæ Sancti Petri in Castello, eodem reviso Corpore, ac recognito, Sacra pompa per Civitatem solemniter efferri, & in eandem renovatam ædem marmoreo inclusum tumulo, reponi curavit, Nobis relicta suis in litteris confirmatione, illud esse Sacrum Corpus S. Benedicti Martyris, unius ex Sancti Patris nostri Emygdii Sociis, quod cum antiquis hujus Illustrissimæ Civitatis tabulis Statutorum etiam convenire noverimus, re ad Sanctam Apostolicam Sedem delata, & propositis in Sac. Rituum Congregatione per Eminentissimum, & Reverendissimum Cardinalem Colloredum nostris precibus, nuper translationem ejusdem Sacri Corporis S. Benedicti posse fieri obtinuimus, prout ex Decreto, sub die 20. Septembris anni proximè præteriti 1687. Quare occasione hujus nostri Synodalis Conventus id exequi, congruum, & opportunum esse duximus, ut universæ Diœcesis nostræ Clero interveniente, easdem Reliquias unanimiter venerando, sic Sacra membra, suo dupliciter Capiti, in Ecclesiam ipsam Cathedralem inferendo, restitueremus, undè re ipsa formam,

& pra-

& praxim exhibemus venerationis, & cultus illorum, qui per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, & adepti sunt repromissiones, quorum Corpora sicuti templum fuerunt Spiritus sancti, ita fiat eorum cinerum, & sanguinis temperatura, ut hæc visibilis nostra Ecclesia linita compaginetur, & in illam tandem supernam, ac triumphalem Jerusalem immutetur, ac reducatur, quæ Altissimi Dei viventis habitaculum, & Sedes Beatorum est.

S. Aug. de Eccl. dogm. cap. 73.

CAPUT XXI.
De Sanctis Imaginibus.

SAnctorum Imaginibus venerationem deberi, non quidem omnibus, sed approbatis tantùm, & quæ à Prototypi dignitate non discrepant, ut eorum aspectu intuentium animi, non ad quid indignum, sed ad Religionem, Sanctorumque vitam sectandam excitentur, in secundo Nicæno Catholica sancivit Ecclesia; Verùm ut in Imaginum veneratione debitus servetur modus, sciendum est, eis nullam vel Divinitatis, aut virtutis partem inesse, cujus gratia colendæ sint; idcircò solùm in ordine ad Sanctos, quorum sunt, venerandas esse, imperitos Parochi doceant, quatenùs sunt illorum repræsentativæ; Sacræ Imagines, ac etiam salutiferum Crucis signum, ne pedibus conculcentur, & proterantur, humi sepulcrorum operculis, locisque sordidis, & abjectis, sculpi, aut pingi omnimodè vetamus.

Concil. Senonen. c. 4. Trident. vbi sup.

mus. Tabulas verò, ligneaque signa, vetustate consumpta, vel fracta, cum sic intuentium oculos maximè offendant, sumptibus eorum, ad quos spectat refici, renovarique, & vetera ne in prophanos vertantur usus, igne consumi, & cineres in Ecclesiæ pavimento effosso, occultari præcipimus.

Nolumus tamen, insolitas, aut insolito modo illarum aliquas in quocunque loco effingi, & si quæ fortassè ad hanc usque diem positæ reperiantur, quæ inhonestum quippiam, & prophanum præseferant, quodque à Sacrarum Scripturarum, aut antiquarum traditionum veritate abhorreant, eas quamprimùm sumptibus illorum, ad quos ea res pertinet, emendari præcipimus, & deleri, & novas in posterum Imagines Ecclesiarum Rectores nullo modo in suis Ecclesiis, vel etiam extrà eas in locis publicis, intrà suarum Parochiarum fines, vel exponant, vel exponi sinant, nisi vel à Nobis, vel mandato nostro fuerint priùs inspectæ, & approbatæ, atque si in Ecclesia locandæ sint, etiam Ecclesiastico ritu benedictæ.

CAPUT XXII.

De diebus Festis, Vigiliis, & Jejuniis.

Diebus festis ad Dei, Sanctorumque laudes celebrandas institutis, ut *juxtà* **Sacrorum Conciliorum, & Summorum Pontificum jussa, debitus** *c.1. de cōsecr. dist. 3.*

honor exhibeatur, opificia omnia claudantur, cunctaque opera ſervilia intermittantur, itemque Mercatus, & Nundinæ; at ne publico viventium commercio præjudicemus, ſi quæ infra annum, iis diebus occurrant, juxtà qualitatem temporum, opportuna noſtra licentia diſpenſabimus, ſi ex neceſſitate id videbimus impedire, pro iis verò nundinis, ſeù potiùs mercatibus, qui ordinariò more, ſingulis diebus Dominicis ſolent haberi in aliquibus locis, cum id pro neceſſitate talium locorum eos Nobis introductos eſſe, teſtetur, idcircò finità Miſſarum, & Officiorum Matutinorum celebratione, & Prædicatione, tantummodò victualia, in venditionem exponi non prohibemus, ita tamen, ut non apothecæ, vel alia opificia aperiantur, & exerceantur ſub pœna traſgreſſoribus decem ſcutorum prò qualibet vice in pios uſus erogandorum, ac etiam carcerationis.

C.3. de ferÿs Conſt. Vrb. 8. incip. Vniu. 1642.

Sileant pariter omnes contractus, iis exceptis, qui jure nominatim permittuntur, & judicialia omnia, Bachanalia inſuper cum ſuis larvalibus perſonis, Ludi, Choreæ, Comœdiæ, Hiſtrionumque ſpectacula, ſub pœnis, mulctiſque in Conſtitutione B. Pii V. & in taxa Innocentiana expreſſis, comprehendi volumus, & præſertim diebus Adventus Domini, & Quadrageſimæ, dùm Sacra fiunt vel Concio habetur, aut alia Divina officia celebrantur. Illarum autem officinarum, quarum ſæpè neceſſarius eſt uſus, ut Cauponum, Piſtorum, & Pharmaco-

B. PÿV. Côſt. incip. Cùm primùm.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Reform. de ieiun. & diebus feſt.

macopolarum, una tantùm januæ pars pateat, quò ægris aliisque res necessarias petendi copia sit; tempore autem Messis, vel quandocumque in recollectione fructuum urget temporis necessitas, consulto Vicario Generali in Civitate, & Vicariis foraneis in Diœcesi, gratis licentia petentibus concedatur.

c. 1. c. cõquaestus de ferus, & c. fin. ibid.

Item nisi pariter eadem obtenta licentia nullus mulio, aut alter mercium vector sarcinas componat, aut belluas oneret, nouum iter è propriis domibus suscepturus, sub pœnis prædictis.

Et cùm invidissimus Beatorũ gloriæ, de Cœlo in ima damnationũ, projectum Cacodæmonũ genus, inter debiliores mortaliũ animas suę nequitię venena, variis artibus cõtinuò curet infundere, ut illę tanquã non vero gaudio phrenecticè sub specioso festivitatis titulo, jis diebus, quibus potiùs Cęlestium meditationi decet esse intentas, impudentissimæ chorearum licentiæ, commessationum, ebrietatum, vel perniciosorum ludorum solatio diù noctuque etiam publicè vacent; Nos ut quantùm possumus, Dei virtute confisi, hisce malignissimi tentatoris occurramus insidiis, enixè in Domino requirimus, atque obtestamur omnes, & singulos, & præcipuè eos, qui Domini, & Capitanei, seù quocunque nomine ad festivitates Dei, seù Deiparæ Virginis, & Sanctorum celebrandas fuerint electi, ut præcipuè choreas, & tripudia, quæ in Plateis, viis, publicè viris, mulieribusque intermixtis, sivè de die, sivè de

nocte, ab antiqua morum integritate, modernorum licentia deflectens, in animarum perniciem, & Sacrarum solemnitatum injuriam, duci, ac haberi permisit, in posterùm non admittant, & sicut in hoc præsenti anno super hac re paternè moniti prò festivitatis celebratione Sancti Præsulis, ac Tutelaris nostri Emygdii, vocem Pastoris audierunt, ita in posterum, ut religiosè idem servare velint, enixè, ac graviter in Domino hortamur, atque monemus; detractis enim his, quæ animarum sanctitati, ac pudori periculum faciunt, honesta oblectamenta, & gaudia, ad justam animi relaxationem, Christianæ modestiæ jungere non vetamus; quod si quis Pastorali hortamento despecto, procaciter obsistere non vereatur, ultrà divinam ultionem, Episcopalem quoque non effugiet animadversionem debita pœnarum severitate.

Festi diei spatium est viginti quatuor horarum, cujus initium à media nocte ipsum diem antecedente, finis verò ab alia media nocte eundem diem subsequente sumitur, intrà quod spatium, si quis quidquam ex supradictis fecerit, pœna violati festi se teneri sciat; festos dies Parochi cùm suis Vigiliis, & Jejuniis die Dominico, eos antecedente, Populis intimare tenentur, quibus nominatim solemnem diem Sancti Præsulis, ac Martyris Emygdii hujus Ecclesiæ, & Urbis Custodis, & Præsidis addimus; omnesque hortamur, ut pridiè ejus diei jejunent, & diem ipsum sanctè, ac devotè transigant. Ad jejunia

c. pronunciādum dist. de consecr.

nia tenentur omnes, præter Adolescentes, vigesimum primum ætatis annum non excedentes, & senes, qui ad sexagesimum annum pervenerunt. Item ægrotantes, fœminas lactantes, & prægnantes, opifices, peregrinantes, Agricolas, & egentes, quibus necessaria ad victum non suppetunt.

Dies Festi observandi, ut in Tabella.

1 Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi. *Ianuarij.*
6 Epiphaniæ ejusdem.
2 Purificationis B.Mariæ Virginis. *Februarij.*
24 S. Matthiæ Apostoli, & 25. Anno Bissextili.
19 S. Josephi Confessoris. *Martij.*
25 Annunciationis Beatæ Mariæ.
1 SS.Philippi, & Jacobi Apostolorum. *Maij.*
3 Inventionis S. Crucis.
24 Nativitatis S. Joannis Baptistæ. *Iunij.*
29 SS. Petri, & Pauli Apostolorum.
25 S. Jacobi Apostoli. *Iulij.*
26 S. Annæ Matris B. Mariæ Virginis.
5 S. Præsulis, & Martyris Emygdii Patroni. *Augusti.*
10 S. Laurentii Martyris.
15 Assumptionis B. Mariæ Virginis.
25 S. Bartholomæi Apostoli.
8 Nativitatis B. Mariæ Virginis. *Septembris.*
21 S. Matthæi Apostoli.
29 Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

28 SS.Si-

Octobris. 28 SS. Simonis, & Judæ Apostolorum.

Novembris. 1 Omnium Sanctorum.

30 S. Andreæ Apostoli.

Decembris. 10 Festum Sanctissimæ Domus Lauretanæ.

21 S. Thomæ Apostoli.

25 Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi.

26 S. Stephani Protomartyris.

27 S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ.

28 SS. Innocentium.

31 S. Silvestri Papæ, & Confessoris.

Dominicæ omnes per Annum.

Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi cum duobus sequentibus diebus.
Ascensionis ejusdem.
Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.
Sanctissimæ Trinitatis.
Sanctissimi Corporis Christi.

CAPUT XXIII.

De Publicis Supplicationibus.

HUmanum mortalium genus, cùm continuò in pœnam suorum criminum innumeris prematur ærumnis, miserantis in se Dei auxilium, & opem invocare præcipuo supplicationum more consuevit, qui quidem mos ab initio usque à veteri Te-

lib. Reg. 1. 2. & 7. de Arca

Testamento, & Synagoga in Ecclesiam accuratè dedefluxit; siquidem hoc supplicandi institutum nil aliud esse videtur, quam quædam communis Ecclesiæ vox per templa, perque vias Deum adorantis, ejusque opem, beneficiumque petentis, eique summa ob innumera collata beneficia grates rependentis.

Quare ne opus tàm Sanctum, quo Divinam justitiam placare, vel grati Divinæ bonitatis conspectui cupimus apparere, nullo indignitatis, aut fœditatis genere deturpetur, attentè curandum erit, ut omnis piè, sanctèque eo fungatur officio, itemque ut sinè tumultu, contentione, & strepitu rectè, atque ordine omnes progrediantur, ac Cleri, & Sacerdotum precibus religiosè, ac fiducialiter inviten-tur, ne prò gratiis pœnas, & pro beneficiis supplicia reportare videantur.

De eo igitur à Parochis omnes moneantur pridiè qua ipsæ publicæ Populo indicentur supplicationes, & si extraordinariæ fuerint, sivè Jubilæi, sivè alterius publicæ rei causâ, etiam è suggestu Prædicatores nuncient,& ipso præcedenti serò Campanarum pulsatione tàm Cathedralis, quàm Ecclesiæ omnes tàm Regularium, quàm Sæcularium, signum ejus rei Populo præbeatûr; Iussi interim adesse, sivè ex præscripto legis, sivè ex particulari ordinatione, si res extrà ordinem fit, adhibitis ad id Deputatis Ecclesiæ Ministris, statuta, præscriptaque hora in Ecclesia Cathedrali, seù in qua suppli-

Concil. Trid. c. 13. de Regular. S. Cõg. Conc. in Interamn. 18. Augusti 1663.

plicatio initium capiet conveniant Confratres omnes Laicalium Sodalitatum, omnesque Cleri ordines, tàm Sæculares, quàm Regulares, exceptis ijs, qui arctiori disciplinæ claustris suis attinentur, sodalesque Laici sacco talari decenter induti, & Clerici ultrà talarem tunicam, lineam cottam candidam, puramque gerant, cum bireto, relicto pileo, pallioque nisi fortè pluvia, aut ventorum vis aliter permitti suaserit, Parochique omnes cum suis signis, si fortè suo munere impediti non fuerint, distinctè conveniant, & Regulares etiam sint cum sui ordinis ornatu. Adsint verò omnes sub suis Crucibus, insignibus, & vexillis, nec ji, quis Cruces ferunt Regularium talari veste, & linea cotta careant, nec Laici ad id opus conducantur, ubi Clerici haberi possunt; qui verò ex Laicis Sodalitiis ferant, aperto sint semper capite. Ubi conveniunt nullo pacto per Ecclesiam vagentur, sed delecto sibi loco consistentes, orationibus, Sacrisque rebus vacent, & cum à Magistro Cœremoniarum, seù Supplicationum Directoribus nutum procedendi acceperint, bini, & bini sub propriis militantes vexillis, & signis, ab ultima parte per unum ex Ecclesiæ lateribus deducti, in transeundo genuflectant ante Altare Sanctissimi Corporis Christi, & pariter ante Aram majorem inclinati per mediam navem ad Ecclesiæ fores descendant, vultu modesto, oculis in terram defixis, gravi, serioque incessu, non flores, non chirotecas, aut aliud curiositatis, & varietatis ge-

stan-

ſtantes inſigne, Pſalmos, Hymnos, Litanias, aliaſque conſuetas preces alternatim concinant, & Statuta per loca maturè, & non intermiſſo ordine progrediantur; Sacris Eccleſiis per quas fit tranſitus, veneratis, uſque dùm ad ſuum terminum pervenerint, è quibus locis, niſi ſupplicatione ad finem tenùs perducta, & per Epiſcopum benedictione omnibus impertita, alibi non divertant.

Cõc. Colon. 3. tit. cenſ. c. 22. & 23.

Crucem demùm ad Oratoria, & Eccleſias proprias proſequantur, ac comitentur, & prædicto tempore commeſſationes, compotationes, aliaque immoderata haberi vetamus.

Ibid. c. 23. & Cõc. Mediol. 1. p. 2. tit. de Proceſſ.

In inceſſu pompæ, ſi qua de loco, aut Dignitate contentio, ſivè inter Sæculares, ſivè Regulares, ſivè Laicorum Sodalitates exoriatur, ſi meminiſſe nolint verborum Redemptoris; ſi quis major eſt inter vos, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator, Epiſcopi, vel ejus Vicarii ſententia res dirimatur; cujus quidem executio nulla provocatione retardetur, cum eo caſu ſine partium præjudicio poſſit eſſe decretum. Ordinem Cleri Populus ſequatur, & fœminæ ſeparatim viros, nec inter eos cachinni, riſus, aut vaniloquia miſceantur; quare ſpectacula, repræſentationeſque per vias haberi, licet Sacras, niſi cum expreſſa noſtra licentia, prohibemus, prout etiam pari modo ſupplicationes ipſas nocturno tempore produci, nec in eis tibiarum, aut fidium, ſeù aliorum inſtrumentorum ſonitum permittimus.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Regular. Lucæ c. 22. Greg. XIII. Bull. incip. Expoſcit.

Vetamus quoque absque nostra licentia ullam novam Processionem, sivè publicè, sivè privatè instituì, & Regulares, vel intrà Claustri ambitum, vel circa Ecclesiarum suarum dumtaxàt muros, processiones ducant.

Progredientem è templo supplicationem festus Campanarum sonus prosequatur, idem redeuntem excipiat, idemque Ecclesiæ omnes, per quas transitus fuerit, faciant, neque eo tempore sacrificet quisquam.

Vias verò omnes per quas eadem supplicatio ducetur, à vicinis expurgari, mundari, & ornari jubemus, ac nec prophanum quippiam in picturis, & spectaculis exhiberi, imò nec salientium aquarum ludos ad supplicationum progredientium quietem perturbandam, fieri sub pœnis arbitrio nostro dandis, & sub eisdem omnes claudi officinas edicimus, atque hi pariter artis suæ exercitia, etiam ferialibus diebus tandiù intermittant, quousque processio evaserit.

Prædictos verò, qui parere neglexerint, vel quos ex ordine, vel Sodalitatis instituto supplicationibus interesse oportet, si tempore inceptæ Processionis in Ecclesia Cathedrali, vel alia determinata absentes notaverit, vel Cœremoniarum Magister, vel qui Directoris munere fungetur, arbitrio nostro, vel ad tenorem Edicti, vel aliarum Ordinationum, mulctari volumus, ac jubemus.

In reliquis, quæ super his in Cœremonialibus, & Sa-

& Sacrorum Rituum libris uberiùs sunt congesta, servari, atque adamussim exequi edicimus, atque mandamus, & pro solemnissima Augustissimi Corporis Christi supplicatione, præter hæc omnia, alia, quæ sub titulo de Sacramento Eucharistiæ sancivimus, diligenter, ac Religiosè serventur.

CAPUT XXIV.

De Orationibus 40. Horarum, & Expositione SS. Sacramenti Euchar.

NIhil est, quod magis à terrenis, humanarumque rerum curis fidelium animos ad Summi Boni fruitionem elevet, quàm memoriale peremne dilectionis, quod Christus Dominus in ultima Cęna cùm dilexisset suos, in finem maximo dilectionis signo eos prosequendo instituit, talis siquidem memoria humanæ naturæ imbecillitati alas ad volandum in Divini Amoris Cœlum efficit, & à carnis concupiscentiis abstractas hominum mentes in sublime perfectionis dirigit, & pœnam peccato debitam, mutuatis à Christo meritis, obtenta miseratione compensat; cumque nihil efficacius, nihil salubrius agi possit, quàm nostræ mentis intensa in Eucharistico Sacramento meditatione mirabilium suorum memoriam in nostræ Redemptionis, & salutis pignore recolere; Idcircò Sancta Mater Ecclesia, sæpè ab inexhausto Divinæ Bonitatis scrinio, salu-

berrimam hanc medelam suis filiis in Orationibus quadraginta Horarum, vel aliàs in dies coram ipso Augustissimo Sacramento Eucharistiæ, pro suarum calamitatum levamento solet exhibere.

Nos itaque summo animi ardore cupientes, ut hoc saluberrimum Orationum genus ubique per nostram Diœcesim, discretis aliquibus per annum temporibus pro Ecclesiarum opportunitate colatur, quantùm in Domino possumus, rogamus, atque obsecramus nostros omnes cooperatores in Christi vinea Parochos nempè, ut semel in anno in eorum Ecclesiis hunc orandi modum inducere, ac inserere velint, excitatis in id Religionis, ac devotionis impulsu, Populis, ut cum fructu, & felicitate, qua solet, habeatur opus, & eo apparatus decore, pompaque tractetur, quæ in humanis magis exhibendo superno luminum Deo subjectionem, obsequiumque convenit.

Sacr. Congr. Rit. 26. Feb. 1628. Prædictæ tamen orationes, nec ab jis, nec ab aliquibus, sine auctoritate, scituque nostro firmentur, sicuti pari modo nullo pacto in publicum venerationi exponi Sanctissimam Hostiam, nec quidem à Regularibus, aut aliis, quamvis quoquo modo privilegio potitis, absque permissu, & voluntate nostra, edicimus, & cum prædicta salutaris; ac felicissima expositio habenda erit, tàm aulæorum, quàm cerarum, ac lampadarum ardentium insigni apparatu, fieri monemus, & saltem semper duodecim splendeant coram Sanctissimo cerea lumina-

ria.

ria, & curent omnes tàm Sanctæ operæ Ministri, ut Sacramentalis sphæra ad Sacram in se sub perlucido vitro tegendam hostiam ex argento, vel auro splendidè conflata, ita super Altari in propatulo solio locetur, ut Sacerdoti ad eam exponendam, vel sustollendam propriis pedibus necessè non sit Aram ascendere.

Durante verò dictarum Orationum tempore, si continuatæ sint etiam per media noctis silentia, viri tantùm eo casu ad orandum, partitis in se, divisisque horis conveniant, & si sub eadem Ecclesia Clerici militent, aut alicujus Religiosi Instituti Sodales, duo saltem per horas, vel cottis, aut proprio Sodalitatis indumento decorati; ante Altare devotè procumbentes, semper assistant.

In ipso Orationis initio, & in fine illæ solemnes habeantur cœremoniæ in Processionibus, precibusque, quæ in Cęremonialibus, & Sacrorum Rituum libris præscribuntur.

At si pro assequendis Indulgentiarum beneficiis, ipsas Orationes continuò etiam noctu haberi permittatur, nonnisi viri transacta prima mediæ noctis hora accedant, & in Ecclesia Monialium illud primùm teneri jubemus, ut nemo nocturno tempore in eam admittatur, & Sanctissimum Sacramentum ex Altari sublatum, & in Tabernaculo repositum, Moniales partitis in se nocturnis horis è sua interiori Ecclesia adorent, ne præscriptum Orationis tempus interrumpatur.

Si

Si autem Ecclesia, ubi prædictæ horariæ preces habendæ sunt ita sit inops, ut propriis viribus apparatus debito decore provideri non possit, eleemosynas aliquibus spectatæ virtutis viris quæritare permittimus, & si aliquid necessariæ impensæ superfuerit, id totum in cultum, ornatumque pro Sanctissimo Sacramento erogari jubemus, stipem verò colligi per Ecclesiam capsulis durante dicto tempore Orationis vetamus, ne orantium animi à devotione avertantur.

Et cum per omnes Quadragesimalis Iejunii dies in jis Ecclesiis, quibus quadraginta horarum Orationes non habentur, facta quadam designatione venerabilissimum Sacramentum pariter exponi suaserimus, & non sine magna cordis nostri lætitia ab omnibus frequentari hanc devotionem recognoverimus, in posterùm quoque quotannis adeò salubre institutum servari hortamur, & benignè in Domino suademus.

CAPUT XXV.

De Oratione vocali, & mentali.

PAstoralis præcipuæ partes sollicitudinis sunt, Christianum Populum edocere, quæ àd exposcendum Dei dona pertinent, & quæ congrua, & justa petitione, ut nostris necessitatibus occurramus, summo omnium Creatori sunt exponenda;

& cum

& cum oratio, seù deprecatio sit in Deum mentis ascensus, ejus partes omnes necessarias continet divina illa formula, quam Christus Dominus Apostolis, & per illos, eorumque successores omnibus fidelibus notam esse voluit, quæ ex Divo Augustino præ omnibus orationibus perfectissima est, quia si rectè, & congruenter oramus, inquit, nihil aliud dicere possumus quàm quod in ista Oratione Dominicali positum est, & quamvis brevis sit, omnium tamen est plena virtutum; Quamobrem præcipua Parochi cura versari debet in eo, ut pii Auditores intelligant, quid à Deo, & quomodò sit petendum, ut fusè in Romano edocetur Cathechismo parte quarta. Undè sapientissimè inquit Divus Franciscus Salesius, quod non solùm Latina lingua, sed etiam materna, ac vulgari, in Oratione Dominicali, Angelica Salutatione, & Apostolorum Symbolo instrui debent fideles, ut tanquàm rationales creaturæ rationabiliter meditando, supernis assimilentur mentibus, non psittaceis Cantoribus, orando; plùs enim meretur fidelis apud Deum unico Pater, & Ave devotè, & sensatè prolato, quàm pluribùs mente distracta, & hæc cordis, & oris oratio, vocalis communiter dicitur.

D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 17. in corp. Luc. 11.

Ad Probam ep. 121. c. 12. tom. 2.

De verb. Domini ser. 28.

In introd. ad vit. devot. p. 2. c. 1.

Ibidem.

Ultrà vocalem orationem, mentalem quoque cum Sanctis Patribus commendamus, quæ in eo præcipuè sita est, quando compositis Corporis Sensibus, sola mente in Deum elati, Divinam ejus Essentiam, Attributa, ac præcipuè Sacratissima Redem-

demptionis nostræ mysteria intento, ac devoto corde cum Apostolo obsecrando, postulando, & gratias agendo, contemplamur; Tali enim mentis, & cordis exercitatione, veri fideles, & justi ad eam perfectionis metam devenire, ut meritò ad præclaros gloriæ gradus sint evecti; Liber siquidem omnibus patens est Christus, quem qui benè sciunt, nihil est si cætera nesciunt, quia ipse solus est via, & veritas, & vita, nec aliundè ad Patrem potest ascendi, nisi per ipsum; Ne verò oves Nobis creditæ in contemplandi methodo à veritatis via declinent, Libros de Passione Christi tractantes, & quos inoffenso percurrere possint pede, cum Divo Salesio assignamus, Sanctum scilicet Bonaventuram, ipsummet Salesium, S. Petrum de Alcantara, Brunonem, Granatam, Del Ponte, aliosque ab omnibus acceptatos, & quantum fieri potest à modernis abstinere consulimus libris, utpotè subtilitate potiùs, quàm substantia gravidis, atque refertis. Doctrinis enim variis, & peregrinis nolite abduci ait Apost.

1. ad Timot. cap. 2.

D. Bernard.

lib. sup. cit. p. 2. c. 1.

Ap. ad Hebr. cap. 13.

CAPUT XXVI.

De Indulgentiis.

VT fideles saluberrimum Indulgentiarum fructum consequantur, Parochi hortentur eos, ut quæ litteræ Apostolicæ præscribunt, & alia pietatis, & charitatis opera exequantur, & primùm

ut

ut quisque præteritorum se dolenter pœniteat peccatorum, suosque mores Christianæ disciplinæ in posterùm conformare statuant; Sinè autem nostra, aut nostri Vicarii auctoritate nemini in nostra Diœcesi, sivè Regularis, sivè sæcularis sit, Indulgentias publicare, & exponere, sivè pro earum publicatione, vel Diplomatis explicatione, quid stipendii petere, aut accipere liceat. *Concil. Trid. sess. 25. de Indulgen.* *Conc. Turon. 4. c. ultimo.*

CAPUT XXVII.

De Oleis Sacris, & Sacramentalibus.

PArochi Olea Sacra ab aliena Cathedrali petere non præsumant, sed quotannis ad ea accipienda, nullo dono, nullaque mercede allata, sub pœnis danti, & accipienti nostro arbitrio infligendis, ipsimet ad nostram Cathedralem accedant; Si verò ipsi justè impediantur, non Laicos, aut minores Clericos, sed alium Sacerdotem, vel saltem Sacris Ordinibus initiatum mittant. Sacrorum Oleorum vascula argentea fiant, sintque pro qualibet Parochiali terna, tribus separatim oleis accipiendis; Singula cujuscunque olei nomen inscriptum habeant, & in loculo decenti in Ecclesia serventur.

Vetera olea Parochi in lampadem comburenda effundant, gossipium verò comburant, & cineres ad Sacrarium reponant. Si fortè inter annum Sacrum Oleum deficeret, & aliundè commodè haberi

De Consecr. c. cum in dubys.

non posset, poterit cùm consecrato aliud misceri, sed in minori quantitate, ut non Consecratum à Consecrato vim suam accipiat.

Parochi functiones die Purificationis Beatæ Virginis, Feria quarta Cinerum, & Dominica Palmarum ex veteri Ecclesiæ ritu fieri solitas, agere, earumque Sacra, quæ præseferunt mysteria, ut cum debito fructu sint populis, aperire non negligant. Aquam itidem benedictam singulis diebus Dominicis renovare curent.

Baptismalem fontem in Ecclesia quisque sua mundare, ac tergere diligenter teneatur, idque faciant non solùm in renovatione illarum Sacrarum Aquarum in die Sabathi Majoris Hebdomadæ, sed pluries per annum, ne sorde, aut aranearum telis offendantur, & curent, ut quàm etiam diligentissimè sub clavi, & sera retineantur, & idem pariter practicetur circa Sacraria, in quibus aquas ipsas vergi oportebit.

CAPUT XXVIII.

De Exorcismis.

De Consecr. dist. 4. c. Sacerdotes.

Licèt Exorcistæ suo ab Ordine infestos Spiritus ab Energumenis ejiciendi vim habeant, nihilominùs, ut res, humanas vires supergrediens, omni, qua oportet, religione tractetur, omnibus tàm Exorcistis, quàm Sacerdotibus, etiam Regularibus

ulli

ulli Energumeno, sine nostra facultate; & in scriptis obtenta, manus admovere interdicimus; Minister verò exorcizaturus, quibus mediis se comparare debeat, & ad quid Energumenos exhortari, quibusque regulis uti ad dignoscendum Energumenos ab Amentibus, Dœmonesque facilè pellendos, in libris ad hæc tantæ pietatis officia peragenda paratis, latè reperiet, & ea in Ecclesiis, semper exerceant.

Cõc. Mediol. p. 2. tit. de Exorcis.

De Consecr. dist. 1. c. Tabernaculum.

CAPUT XXIX.

De Sepulcris, & Cœmeteriis.

Sepulchra sub Altaribus, aut propè effodi nolumus, sed ab Altaris pradella per duos saltem cubitos remota, & si quæ propiùs constituta jàm sint, & submoveri, aut obstrui jubemus, illaque humi effossa, non in excelso loco præeminere sancimus, & operimentum æquale sit cùm Ecclesiæ solo. Intrà Chori pariter, majorisque Cappellæ fines nullum prorsùs fieri sepulcrum permittatur. Cœmeteria circùm Ecclesiam constituantur, ampla prò Ecclesiæ magnitudine, Populique multitudine, muro undique sepiantur, etiam Cruce in medio, & ostio clavibus semper clauso, ne jumenta, aliaque animalia intrare possint. Nullæ igitur in Cemeteriis frugiferæ arbores crescere sinantur, aut herbam crescere, nec & ligna, aut saxa, vel sordes abji-

Cõst. B. Pÿ V. Cum primũ 65.

ciantur, nec quicquam loco Sacro adversans in eo fiat.

CAPUT XXX.

De Funeribus, & Sepulturis.

NIhil Christianæ charitati, fideique magis consentaneum est quàm mortuos religiosis, piisque ritibus sepulturæ tradere.

Quocircà decernimus, ut dùm funera ducuntur, quæ semper de die agi volumus, in Clericorum cultibus, ut eorum exemplo populus circumstans ad Deum pariter deprecandum commoveatur, modestia, miseratioque emineat.

Cōc. Mediol. de Def. exeq.

In sepeliendis autem Corporibus, ne unquàm contra pietatem peccare contingat, statuimus, ut nullius mortui corpus terræ tradatur, qui non horas saltem viginti ante animam egerit, si autem repentino oppressus fuerit morbo, ad viginti quatuor horas funus differatur, decem aureorum pęna Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus indicta; sicuti etiam si prætextu quartæ funeralis alteriusve rei solutione differatur. Et ut à funerum exercitiis omnium contentionum, litiumque radices quoad fieri potest, præcidantur, hæc omnia statuere judicavimus. Primò ut Parocho, intra cujus Parochiæ fines, quis alienus occiditur, quò corpus occisi aliò transferatur, prohibere, aut ob eam causam aliquid

c. fin. & c. 17. de sepul. in 6

ac-

accipere moliatur, non licere ſtatuimus, niſi talis translatio cum funere fiat, tùm enim Parocho jure ſuo uti liberum eſſe volumus. Secundò habens Domicilium in Diœceſi, ſi mortuum in Urbem ſe referri juſſit, Parocho domicilii, Cadaver illius in Urbem ad ſepulturam proſecuto, detur quarta funeralium pro medietate, reliqua verò pars ei in cujus Eccleſia defunctus ſepelitur de more perſolvatur. Tertiò, qui Urbano, ac Diœceſano Domicilio utitur, ſi in Diœceſi obierit, & in Urbe in ſua Parochia ſepeliri eligat, Diœceſanus Parochus ad Urbis uſque portam comitetur, & quarta ad utroſque pro medietate ſpectet. Quartò, qui foris habitat, nullam habens in Urbe Parochiam, & tamen in Urbe ſepeliri vult, hæredibus ſit jus eligendi pro eo Eccleſiam, & Sepulturam. Quintò, qui decedens in Urbe aliò ſe transferri juſſit, cera funeris ad portam Vrbis deducti, ſit Parochi, cujus in Parochia obiit, vel de more pro medietate dividatur. Sextò ſi Pater ſepulturam in Eccleſia Parochiali elegerit, & filius ſub alia commoretur, iſte ſepeliatur in qua migravit, niſi Paterno ſepulcro inferri ſe juſſerit, & ſi quis filius non electa ſepultura deceſſerit, cum ex lege Patrum, majorum in ſepulcro ſit tumulandus, ibi eum condi, ubi vel Pater, vel majores ſui per lineam aſcendentium, non autem Matris ſepulcrum habent, edicimus, cùm filius ſequatur conditionem Patris; Qui evocatus ad funus alium pro ſe miſerit; qui cum Cadaver do-

De ſepult. c. de vxor. §. viſum c. licet de ſepul. in 6.

mo

mo effertur non aderit, qui omnibus divinis officiis non interfuerit, qui sine cotta funus, officiaque obierit, qui denique præscriptis à Nobis funerum legibus non paruerit, omni funeris emolumento, eleemosynaque careat, excepta quarta, quas eleemosynas non in Ecclesia, sed alibi, Populo absente, fideliter inter Clericos dividi jubemus, & pro Regularibus, suis seorsim quoque tradi deputatis.

Greg. I. lib. 7 Epist. & ex Regest. lib. 7. ep. 56. Honor. III. ex Cron. de sepul. c. 1. de simon. c. non satis.

Vt autem ab hoc Christiano opere omnis simoniæ, sordidæque cupiditatis etiam suspicio procul absit, Clerici consuetis erogationibus contenti, nil pro eo, aut petere, aut pacisci, sub pœnis nostro arbitrio, audeant.

S. Cong. Rit. Conc. & Ep. & Regul.

Ad succidendas inter Ecclesiasticos tàm Regulares, quàm Sæculares quascunque dissentiones, cum Parochi associando Defunctorum Parochianorum cadavera Regularium Ecclesias attingunt, ne scandali fiat occasio, postquam in illas dicta cadavera fuerint illata, ad Regulares in propriis Ecclesiis officii, & exequiarum celebrationem spectare sciant; quare jis exequendis sese non ingerant, sed proprio vexillo in partem collato, aliis non occurrant functionibus, quàm officiis completis si expectare maluerint, ultimum vale, seù requiem ipsis defunctis dando; annuente Regularium Præfecto, ut moris est; quod si super his diversimodè fuerit attentatum, noverint transgressores sese proportionatam animadversioni nostæ pœnam daturos.

Cui-

Cuique liberum est ubilibet sepulturam sibi deligere, præterquàm in Monialium Ecclesiis; in Confratenitatum verò Oratoriis, si quis eligat sepeliri, nisi his, quibus ex privilegio, aut consuetudine competit; nihil Parocho debitum detrahi decernimus; Clerici nisi sepulturam eligant, beneficiati ad residentiam obligati sepeliantur in Ecclesia, in qua proximè beneficium obtinebant, alii vero si non electa sepultura obierint, in Cathedrali.

c.1.de sepul. in 6.

Conc. Lat.3. tit.de sep.c.2

Peregrini pariter sine sepulturæ electione decedentes, sepeliantur in Cathedrali, relicto eo, quod Parocho ex consuetudine competit: Miserabilium verò Pauperum cadavera Parochi gratis sepellire tenentur, subministrata per ipsos cera pro funeris cæremonia.

Barbos.c.25.

c.suam de simon.

Infideles omnes, eorumque receptores, & fautores, publicè excommunicati, & denunciati, notorii Clericorum percussores, Interdicti, mortui in Duello, Usurarii manifesti, nisi restituerint, Decedentes sine Baptismo, seipsos ex industria occidentes; In peccato publico, & manifesto, nullo dato contritionis signo ex hac vita migrantes, & hujusmodi sub pœnis à Sacris Canonibus indictis Ecclesiasticis sepulturis careant. Qui verò inopinatè occumbunt, nisi clarè constet, eos fuisse publicos peccantes, vel impœnitentes, sepultura Ecclesiastica non priventur. Interfectorum corpora non inferantur in Ecclesiam, nisi priùs per nostram, vel Laicalem Curiam inspecta fuerint, cum jam sepul-

De sepulchr. c.Sacris cap. Parochiali.

Conc. Later. 3. tit.de excom.680.c.5.

c.15.de sent. excom. in 6.

c.1.de heret. c.quia in omnibus eodem tit. c.placuit 23.q 5. c.fin. de sepul.cap. statuimus de maled.

Clem. de sepult.c.1.

ta, vel in Ecclesiam delata amplius recognosci nolumus.

Montius. Si qua mater uterum gerens moriatur, & inclusus ventre fœtus probabiliter credatur vivere, per Cadaveris celerem ex arte Chirurgica sectionem, illum extrahi Cœsareo partu, & baptizari curetur; quod si vel ea diligentia ex aliquo casu non poterit adhiberi, vel Puer repertus mortuus à materno utero non extrahatur, tunc in eo clausus cum matre sepeliri potest tanquam pars viscerum illius.

Non sepeliatur saltem Nobis non consultis, qui solvere tenebatur Decimas, & eas solvere, vel Ecclesiæ restituere contumaciter recusavit, cùm etiam talis Ecclesiastica sepultura privandus sit ex Textu Capitis Prohibemus de Decimis.

Nec liceat aperire sepulturas ad ostendenda tumulata iàm cadavera cupientibus conjunctis, vel Amicis, vel alia de causa, nisi justa compulsi ratione Nos fortasè permiserimus.

Construere novas Sepulturas sine nostra licentia sub pęna Interdicti prohibemus; Si quas concesserimus, eas Sacrarum Imaginum sculptura non permittimus adornari pavimenta, & loculos frequenter excavari ad cadavera sepelienda, prohibemus; habet etiam indecentiam, & Pontificiis Constitutionibus repugnat. Si quandoque permittendum duxerimus, scriptis nostris facultatem faciemus.

Quotannis tertia die Novembris solemniter in Cathedrali, privatim in reliquis Ecclesiis Civitatis,

tis, & etiam Diœcesis; Missæ celebrentur pro Defunctis Episcopis, Dignitatibus, Canonicis, Sacerdotibus, & Clericis; Opus sanè mutuæ pietatis, quod cũ impleverint, erunt pariter securi, qua mensura aliis mensi fuerint, cumulatim suo tempore esse remetiendum sibi.

Sacræ funerum cæremoniæ ita fiant ab his, qui jis intersunt; ut Christianæ, ac paternæ pietatis tantùm speciem præferant, & dum lugubre mortalitatis spectaculum in Christiano cadavere exhibetur, absint risus, & de rebus inutilibus colloquia, sed tantùm mente recogitando humanæ sortis statum, humilitate, ac devotione suffragio animarum intendatur, & consuetæ preces graviter, ac maturè, & non glomeranter, ac præcipitanter decantentur.

Cùm ad efferendum funus acceditur, non in viis, aut plateis Religiosi Ordines, ac Sodales consistant, sed conveniant in Ecclesiam Parochialem, vel aliam viciniorem domui, ubi mortuus jacet, ibi se invicem omnes expectantes, atque indè opportuno tempore processionaliter procedentes cantu Psalmorum, vel aliarum Sacrarum precum, defuncti corpus ad sepulturam comitentur, nec per mediam plateam magnam Civitatis cadavera Processionaliter ferantur pompa funerum, nisi ea sint eorum, qui Ecclesiæ Cathedralis Senatum implent, & Civitatis Magistratum gerunt. *Montius;*

Cùm ad Ecclesiam ubi corpus est humandum, pervenerint ante peractum de more officium ne discedant.

Quemadmodùm pactiones, & molestas efflagitationes, quæ pravitatis simoniacæ, ac turpis cupiditatis parere suspicionem possint in universa Diœcesi nostra à funeribus exulare volumus omninò, & mandamus; Ità piarum consuetudinum usum ab omnibus retinendum esse, & Ecclesias debitis eleemosynis non fraudandas declaramus. Culcitra verò funebris pro medietate ad Ecclesiam sepulcralem, & pars altera ad Parochialem spectet, vel pro ea dividatur unum scutum, quando ea ponitur in ultimo defuncto familiæ.

Campana major Cathedralis Ecclesiæ tunc solùm pulsetur, cùm Capitulum, & Canonici ad funus comitandum fuerint invitati.

Cùm verò invitantur, singulis Canonicis, ut illorum dignitati consultum sit, singulæ candelæ ex cera alba non minoris ponderis sex unciarum dentur. Canonico Hebdomadario duplum ejus juxtà morem; & DD. Vicario Generali, atque Archidiacono consueta eorum intortitia; Si quis minùs dare contendat, ad funus ne accedant.

Vestes, cum quibus Defuncti corpus ad Ecclesiam delatum est, invitis hæredibus, ne retineantur.

CA-

CAPUT XXXI.

De funeribus pro Episcopo, & Canonicis.

MOrtuo Episcopo, ut ejus Pastorali sollicitudini, paternæque charitati Clerus, & Populus grati animi signa, quæ possunt aliquo modo rependant, commonentur in Domino Sacerdotes omnes tàm Urbani, quàm Diœcesani, ut ibi primùm de sui Episcopi obitu tenunciatum fuerit, non graventur ternas singuli Missas pro ejus anima celebrare, Populusque avidè hortatus in Domino sit, ut frequens in Ecclesiam conveniat religiosis precibus ejus animam adjuturus; Officium etiam Defunctorum, Nocturnum videlicet illi diei respondens devotè celebrare Sacerdotes ne omittant, & cæteri de Clero saltem pro sui Episcopi anima Sanctissimum sumant Eucharistiæ Sacramentum, & Septem Psalmos recitent Pœnitentiales, sivè Graduales per tres pariter dies. Ut autem ejus mors quamprimùm Parochis, & cæteris de Clero innotescat, & tale debitæ pietatis officium illis reducatur in mentem, Capituli Cathedralis officiosissimę partes erunt, denũciare, cujus etiã erit providere, ut assiduò domi cadaver Episcopale custodiatur, utq; alterna, & nunquã intermissa Sacerdotum assistentia, pia circà ipsum totius Psalterii modulatione occupetur, donec ho-

ra debita, Sæculari, & Regulari Clero, Confratriis omnibus, & Doctorum Collegio obſequiosè comitantibus, ſolemni more ſepeliatur. Ipſius etiam Capituli partes erunt officioſæ procurare, ut quatenùs licebit per Miſſalis Rubricas Miſſa Solemnis Defunctorum pro demortuo Epiſcopo in Cathedrali per totam Octavam decantetur; Quibus ita expletis Clerus, & populus univerſus ipſo pariter Capitulo monente Deum optimum maximum deprecabitur, ut orbato Gregi novum Paſtorem, qui ſit juxtà cor ſuum, & in tanto munere ejus faciat voluntatem, miſericorditer ſuſcitare dignetur.

Montini. Cum aliquis ex Dignitatibus, vel Canonicorum obierit, antequam efferatur, Capitulum, & Clerus ad ipſius demortui domum ſolemniter accedat, ibique circa cadaver Officium Defunctorum recitet, addita in fine aſperſione aquæ benedictæ, & cantu reſponſorii *Libera me Domine*: qui ritus nomine vigiliæ ſolis Canonicis prædictis debitæ præfertur, & hæredibus Defuncti, ſi renuerint dare pro tali officio ſolitam eleemoſynam, pęnam decem aureorum imponimus.

Pro defuncto autem Canonico, præſente in Eccleſia Cadavere Miſſam de Requie Canonicus Hebdomadarius cantet, Capitulo, & aliis omnibus de Clero aſſiſtentibus. Eadem pariter die, & quatenùs ea impedita ſit, ſequenti, ſimilem Miſſam privatè celebret pro dicto Defuncto unuſquiſque Canonicus, Manſionarius, Sacerdos Beneficiatus,

ſeù

seù Cappellanus Ecclesiæ Cathedralis, Curatus, & Sacrista, nullam propterea recipientes, ne spontè quidem oblatam eleemosynam sub pęnis arbitrio nostro.

CAPUT XXXII.

De Reverentia Ecclesiis exhibenda, illarumque Immunitate.

TEmplum Domini, quod Sanctum est, structura, & ædificatio Dei est, nonnisi utique præcipuo cultu, ac religiosa veneratione colendum est à fidelibus; nam Sanctus est Dominus, Sanctum quoque sit Templum ejus. Caveant igitur nostri Dięcesani fideles, ut nulla sit ibi invida cogitatio, nullum desiderium sęculare, nullum verbum scurrile, nullus motus lubricus, nullus visus impudicus, nullus actus inordinatus; Scriptum est enim Metuite Sanctuarium ejus: Et rursus: Domum Dei decet sanctitudo, & ab ipso Domino domus orationis nuncupatur.

S.Th.deVillanovaConc. Dedic.Eccl.

Levit. c. 19. Psal.92. S.Bonavent. Serm.de Dedic.Eccl.

Sit ergò Rectoris munus, ne quis, præsertim dùm Divina officia celebrantur, in Ecclesia spatietur, nevè nugetur, nevè cœtus habeat, negociisque operam det, nec in limine, aut antè fores immoretur, nevè aversus quis à Sacramento Eucharistiæ sedeat, nevè cum illud in Missa sustollitur stet, nevè divina officia ullo modo perturbet, aut om-

Bul.B.Pij V. cum primùm Concil.Trid. sess.22.de sacrific.Missæ.

omninò irreverenter in Eccleſia verſetur, ne verò cum mulieribus colloquatur quiſquam.

Ab Eccleſiis igitur, Sacriſque locis maximè procul eſſe debent cujuſcunque fori tumultus, ac ſtrepitus Judiciorum, præſertim in Criminalibus Cauſis; quare Inquiſitiones,& quæcunque alia ad criminum cognitionem ſpectantia ab ipſis omninò rejicientes, expreſsè prohibendo præcipimus, ut maximè, quæ ad rerum capitalium inquiſitionem pertinent;proindè ne occiſorum quidem corpora à Judicibus, aut à Notariis maleficiorum recognoſci in Eccleſia, inſpicique permittantur, ſed eo illata, indè exportentur, & cędis cognitio à Sacris locis prorsùs removeatur, quatenùs à Nobis in ſcriptis licentiam obtinuerint exhumandi, extrahendique ab Eccleſia, & ſic extracta inſpiciendi cum aſſiſtentia perſonæ Eccleſiaſticæ.

Caveant Eccleſiarum Rectores, omneſque Clerici, ſivè Cuſtodes, ne quem exulem, aut damnatum, aut criminoſum, aut oberratum in eorum Eccleſiis, illarumque domibus tranſire cupientem, recipiant, aut omninò poſtulanti aſſentiant, priuſquàm Nos de eo conſuluerint, & quid ipſi ſtatuerimus, expectarint; Si contrà fecerint, iis excommunicationis pęnam indicimus, item ſuſpenſionis à Divinis, & Regularibus ab audiendis Confeſſionibus, ac alias quidem pęnas, quas mereri Nobis videbuntur; Quod ſi Clericis, ſeù aliis minimè præmonitis iſtorum aliquis in Eccleſiæ, ſeù etiam Regula-

rium

rium Domum, Sacrumque locum profugerit, statim de eo Nos faciant certiores, & quod Statutum à Nobis fuerit, id sine mora, sub eisdem pęnis exequatur. Attamen ad Ecclesias, & loca Sacra confugientibus, nemo vim afferre audeat; Quod si fuerint publici viarum Grassatores, aut nocturni agrorum depopulatores, vel qui per insidias, aut proditionem aliquem occiderint, quique in Ecclesiis ipsis mutilationes, aut occisiones perpetraverint, & alii qui in Bulla Gregorii XIV. tantummodò recensentur, & per Curiam Laicalem illos extrahi, veluti Immunitate non gaudentes contendatur, id exequi sine nostra licentia scripto data, & assistentia personæ Ecclesiasticæ deputatæ, non permittatur.

Bull.Gregor. XIV. cum alias Caietl. Iunij 1591.

Hùc quoque referre spectat, non posse Judices Laicos de causis Ecclesiasticorum, & locorum Piorum, vel quomodocunque Spiritualibus cognoscere, directè, vel indirectè absque Ecclesiasticæ libertatis violatione, & si Clericos, aliasque Ecclesiasticas personas suum ad Tribunal duci, ex quacunque causa de jure non permissa, sivè id primariò, sivè consequenter fiat, ibidem conveniri patiantur, pœnas, Censurasque à Sacris Canonibus inflictas, se noverint incursuros.

Ità pariter si absque nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia Clericos in habitu incedentes, vel Beneficiatos capi, seù personaliter detineri curabunt, aut permittent, tàm ipsi, quàm ipsorum Ministri excommunicationis latæ sententiæ vinculis obno-

Montius.

xii

xii detinebuntur, prout pari pęna se puniendos esse sciant, qui Clericos quoscunque impositione, vel exactione vectigalium, Collectarum, & Pedagiorum sine requisita Sedis Apostolicæ auctoritate, aut aliter in præjudicium suorum jurium coangustabunt, & jisdem, aliisque arbitrio nostro pænis plectentur, qui ausu temerario præsument Officiales, & Ministros quoslibet fori Ecclesiastici, dicto, vel facto violare, & impedire, Ecclesiasticamque jurisdictionem, & libertatem quacunque ex causa turbare.

Et si quis adeò nefarius, & perversi animi existat, qui Templum Domini Diabolica præsumptione irreverenter operibus tenebrarum commaculare conetur, & in Ecclesiis ipsis, vel in alio loco Sacro personam quamlibet quocunque genere armorum, etiam baculo, colaphis, aut pugnis iniuriosè cædere, vel igneos globulos vulgò Archibugiate in aliquem ibi existentem explodere, etiam percussione, & offensione non secuta, in excommunicationis pænam Nobis reservatam ipso facto incurret, prout qui sclopis, archibusioque armati eadem loca Sacra intrare præsumpserint.

Scortas, mulieresque inhonestas introducentes, & retinentes in ædibus Ecclesiæ, illique annexis, aut intra Ecclesiæ ambitum reclusis, si Presbyteri sint, aut Clerici, ab omni Ordinum exercitio ipso facto sint suspensi, aliiqsue pænis arbitrio nostro plectantur; Si verò Sæculares, incarcerentur, &

sum-

ſumma ſcutorum quinquaginta aureorum Eccleſiæ ſolvant; In ædibus verò ad Domicilia Clericorum, aliorumque Eccleſiæ Miniſtrorum ædificatis, licet non Regularium, ut ne fœminæ degant etiam illis quovis ſanguinis vinculo conjunctæ ex Camajani Conſtitutione confirmamus, quod ſi aliqua neceſſitas, & rationabilis cauſa aliud eſpoſcat à Nobis erit probanda priùs.

Ei quia curandum eſt etiam; ut Eccleſiarum quoque materialis conſtructio, quantùm fieri poteſt ſplendidiùs, ac magnificentiùs efficiatur, nam magnus Dominus, & Deus noſter ſuper omnes Deos, nullæ in poſterum in Diœceſi noſtra conſtruantur Eccleſiæ abſque noſtra in ſcriptis obtinenda licentia, necnon & à Peritorum judicio de modo ædificandi, & conſtruendi tàm de novo, quàm de veteri ipſi judicaverint; deindè habeatur ea cautio, ut locus à Stabulis, à Cauponis, à Lanienis, à Ferrariis officinis, & ab omni ſtrepitu maximè ſit remotus; item non humido, non caliginoſo, non quo ex declivi aquæ influere poſſint, & à cæno luto, ſordibus omnibus tutò locetur, &, ſi fieri poſſit ab aliorum ædificiorum, ædium parietibus, undique ſejuncto, quod utique in Pagis, ubi liberiora ſpatia ſunt, tenendum ĕrit. Volumus quoque, ut hic comprehendantur Campanulæ, Valvæ Eccleſiæ, Sacriſtia, ubi Sacra ad cultum Dei aſſervantur, cœteraque hujuſmodi, quæ ex faſtigio templorum amplectuntur; dùm denique in Eccleſia novum ædificium

Paralip. 23. c. nemo Eccl. & c. Nullus Presb. diſt. 1. de conſec. c. 1 & 4. de Eccl. ædific. Conc. Trid. c. 7. ſeſſ. 8. de reform. et ſeſſ. 21. c. 7

ullum inſtrui, non Cappellas, non Altaria, non denique quicquam niſi ex auctoritate noſtra; præcipimus.

Porrò ſi extet, aut in futurum extabit in Diœceſis noſtræ diſtrictu aliqua diruta Eccleſia, quæ non fuerit ad alios uſus juxtà Sacrorum Canonum ordinationem translata, aut aliquo modo ruinam minari videatur, Parochi ipſi, intrà quorum Parochiæ fines prædictæ Eccleſiæ ſitæ fuerint, illas Nobis denunciare teneantur, ut quid de eis ſtatuendum ſit opportunè providere poſſimus; lapides autem, cœmenta, rudera, tigna, & reliquam materiam dirutarum Eccleſiarum, ad prophana ædificia adhiberi, niſi juſta interceſſerit cauſa, & ex auctoritate noſtra, vetamus.

Ex Conſtitut. B. Higin. Papæ, & Mart.

Omnibus Eccleſiarum Rectoribus, ſivè Cuſtodibus quibuſcunque diſtrictè prohibendo mandamus, ut illas primæ noctis ingraveſcentibus tenebris, omninò clavibus claudant, nec earum januas, antequam dies luceſcat, aperiant. Eas verò, quæ in remotis, ac campeſtribus locis ſitæ ſunt, omni quidem tempore teneri prohibemus apertas, niſi eo ſolummodò, quo ibi Sanctum Miſſæ Sacrificium celebrari contigerit, neque per noctem in Eccleſiam admittant, præter Sacerdotes, quemquam, nocte excepta, quæ diem Natalem Chriſti Domini antecedit, quo tempore nocturna Sacra, ex Eccleſiæ inſtituto celebrantur, ac ne tùm quidem, ſi fieri poterit, populum excubare, ac pervigilare intrà ſepta Eccleſiæ patiantur.

Sa-

Sacri quoque Rectores, ac Custodes diligenter semper præcaveant, ne unquam Ecclesiasticam libertatem, Immunitatemque lædi quoquo modo permittant, & patiantur, circà quod si aliquis casus, quamvis dubius, aut levis aliquando contigerit, aut de prædicta Ecclesiarum immunitate quovis modo tractetur, de illo Nos statim certiores reddere teneantur.

Districtè prohibemus, ne ante, vel propè prædictas nostras Ecclesias quicunque ludi, ac clamores agantur, nec quis Canes introducat, aut alia animalia. Sic itaque in Cathedrali, ac aliis etiam Ecclesiis, in quibus Populus solet frequentiori numero convenire, deputetur aliquis ad Canes ibi pellendos, ne latratibus orantium, sermocinantium, aut psallentium mentes abstrahantur; Denique mendicos quoque dùm Sacra fiunt vagari per Ecclesiam, ne permittant, sed eos ante fores consistere, eleemosynasque ab intrantibus, atque exeuntibus petere jubeat.

Præcipimus omnibus, sivè Clericus, sivè Sæcularis sit, ut in Ecclesia, ejusque atrio, aut Cœmeterio, aut porticu, aut gradibus quicquam venale collocare, vel asservare præsumat, non frumentum, non legumina, non fruges, non fabrilia instrumenta, non trabes, non denique prophanæ suppellectilis genus; Nec Populi Concilia in ea haberi, neque Scholas, nisi Christianæ Doctrinæ docendæ causa Rectores permittant, sub pęnis arbitrio nostro. *Mentius.*

Decens est, ut omnes, & singuli Rectores, & qui Curam de Templis habent, ea restaurare faciant; de omnibus itaque Paramentis tàm Altarium, quàm Sacristiæ, de quibusque aliis, quæ ad cultum Dei attinent, ne sordida, vel immunda irreverenter coram Deo appareant, curam diligentem gerant.

Caveant etiam ne vestes, superpellicea, seù cottas, aut rocchetta, vasa, ornamenta, instrumentaque alia Sacris addicta, aut omninò quicquam ex Sacra suppellectili prophanis hominibus, aut prophanos ad usus cuiquam commodent; qui ita commodaverit, graviter arbitrio nostro punietur. Pulvinaria verò quæ in Altaribus Missali supponuntur, nullo modo, ne Episcopi quidem, nedùm aliorum genibus subiici, aut omninò ad ullum prophanum usum adhiberi, jubemus.

De Consecr. dist. 1. c. solemnit. et c. Eccl.

Consecrata semel Ecclesia, si violetur, polluaturque de integro benedicenda, reconciliandaque ab Episcopo erit. At si ante nulla fuerit consecratione devincta, sat fuerit, si à Sacerdote quocunque benedicatur, & expietur, & in Ecclesiæ pollutæ Altaribus, nisi postquàm Ecclesia ipsa reconciliata, expiataque fuerit, Sacrum faciendi jus non est, quamvis Altaria ipsa expiatione, aut substratione nulla indigeant, neque enim quia polluta sit Ecclesia, polluta Altaria dicuntur.

De Consecr. dist. 1. c. Eccl. & c. Ecclesiæ Barbos. de potest. Ep. alleg. 28. n. 56. Tolet. in summ. l. 5. c. 8. n. 15.

Si quando res, ususque postulaverit, ut ædes Sacra prophana fiat, ad prophanosque usus transferatur,

tur, id primò nonnisi necessariò faciendum, deindè ritè, cautèque exequendum erit. Aliquot antè dies Sanctorum Corpora, reliquiæque, si quæ in ea ser. vantur, condanturque diligentissimè inspici, recognoscique debebunt, & indè in viciniorem Ecclesiam, aut aliam arbitrio nostro asportari. Sacræ item Imagines pari cura auferendæ erunt. His ablatis, Sacerdos, cui Nos hujus rei scriptam facultatem dederimus, ad Altaria diruenda aggredietur, ac primum quidem Altare maximum adiens, positis ante illum genibus, Dominicam Orationem, & Angelicam Salutationem recitabit, atque his adiiciet precationem ejus Sancti propriam, cui ipsum dicatum erat Altare, detractis indè mappis, integumentisquè omnibus Altare mundabit, & Sacratum lapidem aptè è mensa erutum, evulsumque, & suis ablutum, atque extersum manibus, amovebit, aquamque in Sacrarium abiiciet, & si quæ Reliquiæ sub Sacrato repertæ lapide erunt, eas cum cura asservabit, Nobisque nunciabit, quibus rebus à Sacerdote administratis, fabri Altare demolientur; Idem in singulis Altaribus servabitur; quibus amotis operæ hujus rei causa adducti ossa mortuorum è sepulcris effodient, eodem Sacerdote tacitè, pièque Deum adorante; effossa indè, aptèque composita efferentur præeunte ordine, & sueta funerum Carmina præcinente Clero, & omnia jis officia præstante, quæ de more persolvi mortuis solent, Lapides, cœmenta, tigna, materiamque aliam dirutæ

Ec-

Ecclesiæ ad usum quidem prophanum, non tamen sordidum vertere, Episcopi permissu, licebit; Missarum autem munus, quod præstandum in diruta Ecclesia erat, in primariam Ecclesiam transferatur, nisi ad aliam transferri Episcopus legitima facultate præditus jusserit; ibi impensis ejus, ad quem prophanatæ Ecclesiæ vectigal pervenit, Altare ædificetur Sancto dicatum, cujus nomine ipsa Ecclesia ante nuncupabatur.

In interiori denique quarumcunque Ecclesiarum, præsertim Parochialium pariete, si frontespicio Sancti Tutelaris Imago supra Portam pingatur, vel saltem Crux in culmine apponatur, ut transeuntes hujusmodi signis commonefacti, ad venerationem Sacris locis debitam excitentur.

CAPUT XXXIII.

De Piis locis, & bonorum Ecclesiæ administratione.

c. expedit 11. q. 1. cum secundum de præben. Cōc. Sabin. c. 14. & 2.

QUI piorum locorum administrationi manus tenet, intelligere debet, se Jesu Christi, & pauperum patrimonium ministrare: Quare qui Hospitalibus præsunt, curent eorum redditus, & obventiones ità erogare, ut Institutoris voluntas, sivè in Orphanotrophio, sivè in Xenodochio, sivè Nosocomio, sivè in Hospitalitate habenda, ritè, promptèque adhibeantur, ex Tridentini, sivè

sivè Viennensis Concilii Decretis, si proprio muneri juxtà eorum Statuta, & Constitutiones, non satisfecerint, ex Sacrorum Canonum jure reparatio ab illis in omnibus reposcetur, fructusque, quos contra ipsius Hospitalitatis institutionem perceperint, nullam in partem jis remitti permittemus.

Greg. I. lib. 3. Ep. 24. de Relig. domib. c. de Xenodoch. clem. de Religiosis domib. c. quia contingit.

Nemo porrò ex eis directè, vel indirectè sollicitudinem adhibeat, ut eligatur, vel confirmetur ad aliquod munus, vel Officium; aliàs electio, vel confirmatio irrita, invalidaque habeatur; rerumq; omnium, in administrationem traditarum Inventarium faciant pro tempore renovandum. Si qui verò in reddenda ratione Administrationis, aut in ea adimplenda defecerit, aut debitor apparuerit, ab officio exclusus, nisi debitum solverit, iterùm non admittatur; Ære alieno gravati, aut nimis inopes, ipsique loco pio debitores non eligantur in ejus Administratores, & electi non admittantur.

In libris, in quibus rationes illarum Administrationum scribuntur, singulæ, quas habent, partitæ habeant expressum diem, mensem, & annum, & singularum rerum numerum, pondus, seù mensuram, & si quid emptum, venditum, commodatum, aut mutuatum; nomina quoque personarum, à quibus emptum, vel quibus venditum, commodatum, vel mutuatum fuerit, aliàs non bonificabuntur.

Cùm verò prædictorum locorum redditus ex Instituti præscripto in eleemosynam erogandi sint, caveant Ministri, ut verè egentibus de Parochi fide,

di-

Cõc. Mediol. p. 2. tit. de Pior. loc Administrat. Conc. Colon. 2 p. 11. c. 1. & seqq.

dignorumque testimonio, distribuantur, ne subducta miserabilibus, aut verè egentibus stipe, otiosis, aut improbis, aut præter ordinem instituti attribuatur.

Is autem, qui Hospitalium curam agit Præfectus, cui obeundo muneri semper aliquem adesse Officiales, & Rectores curent, nihil penitùs, vel ultrò oblatum exigat, petat, vel accipiat ab Ingredientibus, vel egredientibus sub gravissima pœna, illudque præcipuè exequatur, ne Peregrini, Pauperesque hospitio accepti religionem loci pervertendo eum in vitiosam speluncam vertant. Quare Circulatores, Histriones, Aleatores, Nebulones, & hujusmodi perditos, nequissimosque homines ab jis arceat domibus, quod & cum illis peragat, qui nulla necessitate præssi, sed turpissimi quæstus cupiditate, doloque malo ulceribus, morbisque se simulatè infectos reddunt.

dd. Conc. Colon. Mediol.

Eos, qui mulieres secum ducunt, licet sub matrimonii specie, nisi de eo per authenticas attestationes liquidò constet, non recipiat, sicuti nec armatos ingredi sinant, ut suprà in Ecclesiis. Distinctæ sint undique tàm pro viris, quàm pro fœminis mansiones, separenturque pueri à natu majoribus, etiam per distincta cubicula, nec benè valentes cum infirmis cubare permittatur; qui ad valetudinis beneficium reintegrati apparebunt, triduò tantùm morari possint, nec indè paulò post reversi sine causa, recipiantur.

Dec. S. Cong. 1627. et Cõc. Mediol. ibid.

Per

Per eundem quoque Hospitii Præfectum attentè curetur, ut dum beneficio Pii loci, ac bonorum institutoris ope, pauperes, miserabilesque aluntur, hi non desinant pro eo, quod in ipsis virium reperitur, vel Canonicas B. Mariæ Virginis Horas, vel ad parvorum globulorum numerum Angelicas Salutationes recitare, salutem animarum exposcendo tàm pro Fundatoribus, quàm illius loci Ministris. Jus eleemosynas petendi nonnisi Orphanorum Puellarum Conservatorii alumnis, & pro infantibus expositis Societati Sanctissimi Corporis Christi, necnon etiam pro pauperibus carceri mancipatis Societati S. Mariæ Charitatis, seù Ministris in Diœcesi nostra sit, illasque sine ulla diminutione integrè consignandas esse Camerario, aut Deputatis, edicimus, à quibus diligenter recensitæ in libris ad id comparatis, Rectoris, sivè Orphanotrophii Præceptori pro impensis tantummodò necessariis, tradantur.

Pro quacunque autem necessitate nemini ex jis, qui locorum Piorum, vel Ecclesiarum Administrationi præsunt, bona quæcumque, sivè immobilia, sivè mobilia quidem, si prætiosa sint, alienare liceat, nisi jis servatis, quæ à Sacris Canonibus præscripta sunt, ac nisi de voluntate, atque consensu Episcopi (si mobilia non prætiosa, quæ servando servari non possunt, & prædiola modici valoris, quæ summam scutorum quinquaginta non excedunt,) aut ex Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate; qui secùs

cap. nulli de reb. Eccles. non alienan. Extrau. Ambitiose eod. t. Const. Vrb. VIII. incip. Humanæ.

Conc. Agath. cap. 4. duodecim q. 2. & c. terrulas ııı. eod.

 cùs

cùs fecerint, eorundem Sacrorum Canonum pœna plectantur, res acta rescindetur, & Notarii, Scribæque gravissimæ subjacebunt pœnæ, neque ab Ecclesiis, seù locis piis à se administratis ullo pacto pecunias mutuas accipiant, neque census, vel alia eisdem locis vendant; si seeùs fecerint, contractus nulli sint, & ipsi statim ab administratione amoveantur.

Conc. Trid. c. 2. sess. 23. de Refor. d. Extrau. Ambitiosa, & c. nulli liceat de reb. Eccl. non alienan. Conc. Constantien. post sess. ult. in c. confirm.

Idem quoque servandum esse edicimus in locationibus ad longum tempus factis, nec quocunque modo bona prædicta locari liceat eorundem bonorum Administratoribus, seù istorum, & Beneficiatorum propinquis, nec directè, vel indirectè, nisi pro magna Ecclesiæ utilitate aliter judicio Episcopi decernatur, & pari etiam ratione Ecclesiarum, & eorundem locorum Piorum bona Administrantes ab jis emendis exclusos omninò haberi volumus, & declaramns; Item nisi præviis Bandimentis res ipsæ vendentur, aut locabuntur, venditio, aut locatio nullæ sint.

Item si quis contra Concilii Tridentini sancita, anticipata solutione facta in successorum fraudem, detrimentumque eadem bona locare, aut conducere ausus fuerit, & à Nobis gravi pœna mulctabitur, & locationes ipsas vim nullam habere, si ullum successoribus præjudicium allatum erit.

Si quæ autem bona Ecclesiarum, seù prædictorum locorum in emphyteusim, aut alio quoque modo Laicis concessa, caduca, & devoluta evaserint,

rint, caveant Ecclesiarum, seù locorum Piorum Ministri, ne ullo pacto caducitatis pœnas, nisi servatis jis, quæ in hoc genere jura præscribunt, remittant, qui secùs fecerit, arbitrio nostro plectetur, & si qui sint ad præsens, qui solutionibus prædictorum Canonum non satisfecerint, infrà duorum mensium spatium moniti, non voluerint, seù quod debent solvisse docuerint, bona quæcunque in emphyteusim per eos, aut alio quocunque modo, ut suprà retenta, devoluta intelligantur, & sint.

c. fi. de locat. & conduct.

Insuper bona quæcunque Ecclesiastica sine legitima Superioris, & Sedis Apostolicæ licentia, & auctoritate si alienata, aut permutata reperiantur, præcipimus non tàm jis, à quibus alienata fuerunt, verùm etiam illis, à quibus occupantur, ut Ecclesias, & Beneficia, locaque ipsa tàm de bonis ipsis, quàm fructibus iniustè perceptis plenariè reintegrent, onusque sit eorum ut suprà, qui invalidè alienaverunt, judicium pro recuperatione quàm citissimè instituere; quod si parere distulerint, ex Canonum jure compellemus; Commutationes verò, & alienationes ipsas irritas, inanesque declaramus; quos verò usurpatores, & bonorum Ecclesiæ occupatores esse comperiemus, ex eorundem Canonum, & Concilii Tridentini decretis strictissimè perurgemus, & excommunicatione in Bulla Cœnæ præfinita sciant esse affectos.

Paul. IV. Const. 2. Iniunctum. 12. quest. 2. c. quicquam de reb. Ecclef. non alien. c. cum Laicis Conc. Rom. 4. sub ..... cap. 2. 16. q. 7. c. non placuit. Conc. Nicen. 2. c. 12. Conc. Agathen. c. 22. & 45. 12. q. 2. c. ... cap. Statuimus. Trid. sess. 22. c. 11. de ref. Bull. in cœna Domini § 11. 17. q. 3. c. sicùt antiquitùs

Et ne in grave ipsarum Ecclesiarum detrimen-

tum ultrò protendat Ecclesiasticorum Ministrorum negligentia, statuimus, ut omnium Ecclesiarum, sivè illæ Curatæ, sivè simplices sint, Hospitalium, pariter, & Piorum locorum quorumcumque census, jura, redditus actiones, nomina debitorum, bonaque omnia mobilia, & immobilia earum recenseantur, recognoscantur, & à Rectoribus, Ministris, seù Deputatis in Codicem, seù Catastum diligentissimè referantur, cum expressione, ac denotatione finium, ac eorum, quæ necessariò apponenda esse consideretur. Idque totum infrà annum à die hujus æditæ Constitutionis, & peractæ compilationis universalis Catasti quoad Ecclesias, & pia loca Civitatis, & Status Asculani, perfici, & exequi mandamus, & duo confecta exemplaria, unum coram Cancellario nostro ad asservandum in Episcopali Archivio consignetur, aliud verò ad exhibendum Nobis in actu futurarum Visitationum reservetur penès dictos Rectores, seù Ecclesias.

d.c. quia contingit. Clem. de Relig. domib.

Cumque pari modo in Ecclesiarum præjudicium cedat, monumenta, scriptaque ad illarum jura, rationesq; pertinētia, dolosè occultari, si quis ex nostris Clericis ita ingrati animi vitio tactus, ut contra Ecclesias prædicta perpetrare sit ausus, Agathensis; & Aurelianensis Concilii pœnas non evadat, & allatum damnum dupli restitutione resarciat.

Conc. Agath. c. 26. 12. q. 6. si quis Conc. Aurel. 3. post Clem. V. c. 17

Ad hæc autem evitanda perniciosa mala, defuncti Clerici hæredes, propinquosque monemus, ut in-

fra

frà decimum diem, postquàm eum deposuerint, omnia scripta, jura monumentaque ad Ecclesiam, cujus erat Rector, seù Beneficiatus, spectantia, integrè gratis restituant, seù ad Successorem, seù Administratorem; qui hoc spontè facere recusabunt, excommunicationis pœnam incurrant.

De elect. in 6 c. quia sæpè.

Ne pariter Ecclesiæ cujuscunque bona, Rectore defuncto expilari, aut surripi contingat, vicinior Parochus, aut alius Sacerdos, qui morienti adfuerit, proborum hominum adhibita præsentia, Inventarium conficiat omnium mobilium ad Ecclesiam ipsam spectantium, & expilatori, seù surreptori excommunicationis pœnam latæ sententiæ indicimus.

d. Conc. Rauennen. c. 7. c. qui rapit, & c. omnes 12. q. 2. c. nulli liceat, & c. non liceat;

Pro tuendis autem, servandisque Ecclesiarum juribus optimum fore credimus, si communi Cleri consensu idoneus habeatur pro Advocato Jurisconsultus, qui Ecclesiasticorum bonorum, juriumque Patrocinium suscipiat, & gerat, & jis recuperandis diligenti studio, curaque intendat; sæpè enim multa negliguntur, & pereunt, quæ si opportunè protegerentur, nec tàm crebra essent Ecclesiarum damna, nec tot forsan in occupatorum bonorum pęnis, majori eorum damno insordescerent.

Ji insuper omnes teneri sciant conditionibus, quas propria cujusque beneficii institutio exigit, vel ipsis Apostolicis litteris continentur, & qui fructus sibi ipsis vindicant, aut in alios transferunt, eos, & restitutionis lege teneri, & sacrilegii crimine innoda-

dari, neque ulla Consuetudine, aut exemplo excusari dicendum est.

Et cum Ecclesiarum, sivè aliorum locorum Piorum bona non solùm manuteneri; sed & augeri, ac meliora reddi oporteat, præcipimus, ut quàm diligentissimè à Beneficiatis, sivè illarum Administratoribus, Rectoribusque, ædificia, sivè Domus, sivè prædia sint, quotannis ab ipsis visitentur, & restaurari, necnon augeri, ac summo studio in meliorem formam redigi curent; quod si res in deteriùs abire eorum negligentia, culpaque constiterit, arboresque, vitesque extrà casus à jure permissos precidisse comperiemus sine nostra licentia, ultrà Sacrorum Canonum pęnas, ac damni Ecclesiæ illati refectionem ad aliàs juxtà Capitulorum dispositionem damni dati teneri volumus, & ad pęnas insuper nostro in Edicto generali præscriptas.

Conc. Lucen. cap. 15.

Cumquè ex nostra licentia ullæ incidendæ, vel evellendæ erunt Arbores infrugiferæ, vel jam arentes, talis concessio intelligatur solùm cum obligatione alias Arbores succedaneas in eisdem terris replantandi, quàm conditionem, & in Decretis illis speciatim exprimi per Notarios nostræ Cancellariæ, & in illorum formulariis addi, præcipimus.

Mentius.

Si quis verò prædictas arbores sine tali facultate incidere, aut evellere ausus fuerit, duplo ejus, quod incisæ, evulsæque arbores valebant, pęnam luat, applicandam locis ipsis damnificatis, aliisque Sacrorum Canonum, nostrorumque Decretorum subjaceat.

Pu-

Publicum eleemosynarum quæstum exercere etiam Hospitalium, atque aliorum locorum Piorum nomine nemo audeat, qui licentiam à Nobis quotannis renovandam non habuerit in scriptis.

Ad hoc munus deputentur bonæ existimationis viri, qui idonei censeantur ad id exequendum, vel gratis, vel sibi certa mercede constituta, colligendarum enim pecuniarum pro rata, & portione aliqua participes fieri prohibemus.

CAPUT XXXIV.

De Decimis.

ILlud etiam ad succidendam frigescentium in Christi religione hominum malitiam, quod in Decimarum solutione contingere solet, notificare oportet, decimas Sacerdotibus cultui Divino mancipatis, Dei jussu deberi, proculdubiò est; Quare Altissimo rerum omnium Creatori, ac Conservatori, cujus nutu, ac providentia Nobis fructus terra gignit, præscriptas Decimas subtrahere, idem est, ac ipsi Deo universorum Domino debitæ subjectionis signum denegare, ac ejus summam bonitatem infando periculo detrectare. Ab hoc, ut nostri caveant Diœcesani, quæ à Tridentino Concilio de Decimarum solutione præscribuntur, ipsis per Parochos Italico sermone prima quaque die Dominica Adventus, & Dominica Trinitatis explicetur.

c. Paroch. 14. c. nobis 26. de decim.

De decim. c. x Deuter. c. 12. num. 30.

Sess. 25. c. 12.

Qui

Qui contumaciter renuerit, culpam se noverit incursurum Nobis reservatam, à qua, nisi plena satisfactione secuta se non absolvi posse sciat; noster autem Generalis Vicarius, vel in Judicio requisitus, vel dùm Visitatoris officio fungitur hujus modi causas breviter audiat; & summariè expediat.

In Decimis autem exigendis, de quolibet frugum genere, quod terræ juri Decimandi subiectæ producunt, nihil omninò, quoad quotam partem contra cujusque loci consuetudinem innovetur, abolentes super hoc quascunque transactiones, & pacta inter Laicos, & Ecclesiarum Rectores factas, & inita contra Sacrorum Canonum jura, & Ecclesiarum commoda, & utilitatem, Mandantes, ut nonnisi debito modo illas exigant sub pęna suspensionis ipso facto incurrendæ, eas tantummodò conventiones excipientes, quæ nostra, vel Antecessorum nostrorum, aut Sedis Apostolicæ auctoritate roboratæ fuerint.

Parochi omnes, & Ecclesiarum beneficiatarum quicumque Rectores, volumus, ac decernimus; ut in liberculo ad id particulariter comparato describant omnia, & singula prædia, quæ intrà suarum Curarum, & pertinentiarum fines decimarum oneri subjecta sibi reperiuntur, cum explicatione finium, & nominum illorum, à quibus possidentur, arctamusque omnes, & singulos, ut fideliter, & sine fraude assignent, & revelent ea prædia, quæ sub jure Decimarum existunt, ne adversus Ecclesiam ali-

aliquid usurpari, vel aliquos in pœnas contra usurpantes bona Ecclesiastica, incurrere contingat.

CAPUT XXXV.

De Legatis Piis, & Notariis.

AD evitandas, quas sæpènumerò, fraudes, avaritia mater educit in perniciem animarum, jubemus Notariis, Scribis, atque omnibus quicunque Testamenta, Codicillos, aliasue tabulas, legata ad pias causas continentes, rogati conscripserint, obsignaverintque, aut scripta, obsignataque ab aliis ipsi apud se habent, ut secuta Testatoris morte, rem Nobis, aut Vicario nostro denuncient, & eam testamenti partem, quæ pium legatum complectitur publica authoritate munitum, debita mercede fraudatos non ituros promittentes, si in Civitate intrà quindecim dies, intrà mensem verò si in Diœcesi, tradant, proposita iis excommunicationis latæ sententiæ pęna, si justum non intercesserit impedimentum. Quod si fortè usque adhuc decretum hoc ex Antecessoris nostri Synodo procedens, debitæ non sit demandatum executioni, sub eadem pęna injungimus prædictis omnibus, & intrà idem temporis spatium à promulgatione præsentium, Nobis, seù Vicario nostro notificent omninò, quæ in eorum tabulis habuerint ad pias causas facientia,

Conc. Ravenen. 2. sub Clem. V. c. 31.

Montius.

& per Notarium noſtrum debitas notulas in certum ad id deſignatum librum referri jubemus. Et ne tàm gravis, tantique momenti Legatorum piorum res negligatur, oportet aliquem conſtituere, qui prædictorum Legatorum cauſis, exactionibus, & patrocinio ſuperintendat, ideoque ad hoc munus, ad arbitrium tamen noſtrum Procuratorem Fiſcalem noſtræ Curiæ Epiſcopalis eligimus, ejuſque fidei, diligentiæ, ac zelo injungimus, quatenùs ſingulis ſaltem menſibus de eo, quod pro quaque Eccleſia attulerit, Nos faciat certiores.

Ubi autem de Legatorum Piorum, ac aliarum piarum diſpoſitionum executione agendum erit, elapſo ſex menſium ſpatio ab obitu Teſtatoris, vel à tempore per illum præſcripto, unica tantùm citatione præmiſſa ad executiones reales, & perſonales per noſtros Vicarios, & Judices, procedi mandamus, cum tempus huic Conſtitutioni affixum juxtà Anteceſſoris noſtri Decretum vices legitimæ intimationis ſit suppleturum.

Montius.

Cum verò ad noſtram Epiſcopalem Curam officiumque pertineat invigilare, ne jis exequendis defunctorum voluntatibus fraus aliqua committatur, nemini licere ſibi aliquod, licet minimum attribuere de his, quæ Pauperibus diſtribuenda fuerint Legata, edicimus, niſi à Nobis facultas in ſcripto ejus rei fuerit attributa; commutandis item in prædictis Defunctorum voluntatibus, nemini jus eſſe volumus, neque de ipſorum hæredum conſenſu, niſi

Concil. Trid. ſeſſ. 22. de refor. c. 8. c. eas quidem, c. ſi hæred. c. tua nobis, & cap. Ioannes de teſtam. Clem. quia contingit de relig. domib.

priùs

priùs à Nobis cognita re, quid juris agendum consulto fuerit indultum.

Notarios, quorum fidem integram perspectamque esse oportet graviter monemus, & eisdem strictè injungimus sub pœnis in Sacris Canonibus, aliisque Pontificiis, ac Synodalibus Constitutionibus comminatis, ut se abstineant à conscribendis cujuscumque generis Contractibus usuræ, vel Simoniæ labe suspectis, aut quovis modo contra justitiam, & libertatem Ecclesiasticam concludentibus, & in dubio, nonnisi quàm de Peritorum consilio se gerant, ac Nobis ipsis etiam consultis, quibus non solùm eos punire, & officio privare, sed etiam eorum peritiam recognoscere, ac probare ex Tridentina Synodo datum est. In Censibus verò creandis omnia, & singula observent etiam circà veram, & realem pecuniæ numerandæ præsentiam, quæ in Constitutione Pii V. ritè sancita sunt. *Sess.22.c.10.*

Insuper ad testamenta, vel aliam quamlibet piam dispositionem scribendum evocati, nullo modo Testatori ultrò se ingerant importuni suasores, ac monitores, ubi agitur de imminutione facultatis Episcopalis, seù Ecclesiasticæ, si secùs fecerint à Notariatus officio sint ipso jure suspensi per triennium, omnibus intrà tale tempus gestis irritis, nullisque remanentibus.

Prohibemus etiam eisdem ad evitandas falsitates, & hæredum qualescunque suspiciones, ne se rogent de dispositionibus, & Legatis Piis ad favorem Cle-

ricorum, qui ipsis Consanguinei, vel Affines sunt usque ad secundum gradum inclusivè sub pœnis nullitatis illius rogitus, & privationis Officii Notariatus in posterùm.

CAPUT XXXVI.

De Montibus Pietatis Pignorum, & frumentariis.

MOntium Pietatis beneficio pauperes gaudere debent, quorum solatio instituta sunt juxtà sancita in Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi II. sessione decima, ut horum Patrimoniorum facultas, Ministrorum fide, ac industria regatur, guberneturque attentissimè, oportet ideò primùm videant, ut egentibus in subsidium sint, nec pro lucro aliquid pluris accipiatur, quod à Nobis judicatum fuerit satis esse pro expensis ad Montium conservationem necessariis, deindè ne quid Montibus pecuniæ depereat invigilent; Quare Pignora, nisi quorum prætia mutuatam pecuniam duplo superent, ne accipiant. Arma & libros, cujusvis sint generis ibidem oppignorari non permittant, & data pignora non commutari, aut commodari patiantur, indicta Officialibus excommunicationis pœna. Ne autem tineis, aut pulvere res corrumpi, aut immutari contingat, ligneis arculis, loculisque diligenter occlusæ retineantur, & singulis saltem mensibus expli-

pli-

plicari, atque excuti curent: Si verò elapso Statutorum, & Capitulorum tempore pignora redimi negligatur, Præconis voce plùs offerenti divendantur, audita tamen priùs Peritorum æstimatione tàm super rebus prætiosis, quàm super aliis quibuscunque ne Sacra ipsa loca de mutuata pecunia, aut Domini de justo prætio fraudentur; nec statim redemptas res in pignora supponi patiantur; Caveant insuper, ne in pecuniarum commodatione à legibus ipsorum Montium recedant, nec affectionis gratia plùs uni, quàm alteri tribuatur; nemo tandem vices suas alteri deleget, sed quisque muneri suo per semetipsum satisfacere procuret.

Quoties verò Montistæ secundùm leges, & Capitula ipsorum Montium, ac decreta per Nos in Visitatione edita, quæ servari omninò volumus, & mandamus, publicè vænalia ad sonum tubæ non exponant pignora, quæ spatio decem, & octo mensium elapso redempta non fuerint, pœnam scutorum decem, piis usibus applicandorum arbitrio nostro, incurrant; quod si per alios tres menses id exequi distulerint, ab officio removeantur.

Et cùm in hac Civitate, & Diœcesi plures Montes frumentarii reperiantur in subsidia Pauperum erecti, scire debent Confratres illarum Sodalitatum, necnon Priores, & Magistratus illarum Communitatum, quæ tales habent Montes, hos quoque in Constitutionibus Apostolicis super Monte Pietatis emanatis comprehendi, atque ideò illorum bona

in

in nullum, præterquàm Pauperum usum ad instituti præscriptum erogari posse, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda Summoque Pontifici reservata. Quapropter non solùm Ministros, ut cum fide, diligentia, & charitate tàm piis operibus inserviant, oneramus, sed omnes fideles enixè in Domino hortamur, ut ad incrementa, & amplificationem eorundem Montium ex animo intendere non omittant.

Montistæ verò eligantur Canonico modo, viri probi, facultatibusque prorsùs idonei, sivè à Sodalitatibus, sivè Communitatibus ad quas spectat, cureturque, ut res Montium tutis cautionibus firmæ salvæque semper fiant, electique nonnisi accepta facultate à Prioribus, & de consensu itidem nostro ad erogandà frumenti subsidia non deveniant, quæ quidem citrà Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ festivitates, nisi aliter temporum ratio suadeat deferenda erunt annona laborantibus Confratribus, seù aliorum locorum Pauperibus, ubi respectivè de Montibus Sodalitatum, aut Communitatum agitur, ac deindè intra totum Augusti mensem mutuati frumenti summæ per eosdem Dispensatores diligenter recuperentur, sub pęna supplendi de proprio, quidquid eorum negligentia non fuerit restitutum, vel si frumentum corruptum, vitiatumque receperint. Qui verò in restitutione mutuati frumenti morosi, aut fraudolenti deprehensi fuerint, ad restitutionem celeriter, exequutione mediante,

Trid. sess. 22. cap. 8.

com-

compellantur, & in futurum, Nobis inconsultis Beneficio commodati non gaudeant.

Frumentum in horreis, peculiariter huic usui destinatis diligenti cura asservetur, & sub duabus clavibus recondatur, quarum una penès unum, altera apud alterum ex Ministris existat, & distributiones, ac restitutiones in libro benè compacto, cartulato, atque ad hoc specialiter comparato, cum nominibus accipientium, & restituentium addita specificatione diei, mensis, & anni, accuratè describantur.

In fine cujuslibet anni administrationis rationem, Montistæ Syndicis à Consilio Confraternitatum, sivè Communitatum per secreta vota eligendis, ac etiam Nobis, si opus fuerit, reddere teneantur, librosque cum schedulis apocisque debitorum, facta frumenti consignatione successoribus, nisi eos confirmari in officio continget, tradant, servatis in reliquis particularibus Statutorum, & Capitulorum ordinationibus, quæ forsan præsentibus non adversentur.

Parochi, seù Vicarii nostri ubi sunt interveniant, & assistant prædictis annuis computorum revisionibus, & tàm ipsi, quàm novi Officiales Montium teneantur sub pœna unius aurei pro quolibet ad formam Edicti super Montibus à Nobis editi sub anno proximè præterito 1687. in Cancellaria nostra notulam consignati, & recepti frumenti tradere, cùm specificatione quotæ Capitalis inexactæ, & nomi-

num

num etiam debitorum, infrà mediatum mensem Septembris.

Eos, qui à Parocho notati fuerint de non adimpleta obligatione mittendi suos filios, aut familiares ad discendam Doctrinam Christianam, omni beneficio frumentariæ distributionis carere volumus, pœna indicta decem aureorum in usus pios erogandorum, & etiam carceris jis Officialibus, qui super hoc Parochorum monitis non obtemperaverint.

CAPUT XXXVII.

De Hospitalibus Infirmorum, & Infantibus expositis.

INfirmi Hospitale curationis causa ingressi, cùm primùm possunt confiteantur, & Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum recipiant, & Sacerdos animæ illorum curationi addictus sollicitè in omnibus illis assistere non desit tàm in administratione Sacramentorum, quâm in ultimo vitæ articulo illos spiritualibus subsidiis, ac monitis salutaribus adjuvando.

Ministri verò debitam, ac solertem in servitio ægrotis præstando adhibeant diligentiam, illisque à Medicis ordinata remedia opportunis horis ministrent.

Insigne pietatis opus est Infantes expositos colligere,

gere, & receptos alere; quare tàm salubre, ac pium institutum, quod peculiare est in hac Civitate Venerabilis Societatis Sanctissimi Corporis Christi, ut omni charitatis zelo, ac ardore confoveatur, non solùm Bailum, sed Priores, ac Officiales, & Confratres ipsos incumbere volumus executioni salubrium Decretorum, quæ pro fœlici regimine prædicti operis ordinata sunt, tàm quoad nutrices, quæ in Civitate semper in promptu debent haberi, quàm quoad aliàs quibus alendi pueri mittuntur, ipsis congruo, & sine mora convento subministrato pecuniarum, ac olei subsidio, & in die festo Sanctissimi Corporis Christi, qua resignatio solet haberi Puerorum cùm præstatione stipendii nutricibus, id semper fieri cum assistentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis edicimus.

Si tales inveniantur pueri expositi, qui Parentes habeant eos alere valentes, vel non recipiantur, vel jam recepti restituantur, & iis Parentibus, qui proprios conceptus alere, de proprio possunt, ne eos exponant, excommunicationis, aliisque arbitrio nostro luendis pœnis, jubemus, & habita de illis notitia, in refectione damnorum pio loco duplum restituere, summariè cogantur.

CAPUT XXXVIII.

De Laicorum Sodalitatibus.

Clem. VIII. Constit. 115. Quæcumque §. 2.

Concil. Senn. tit. Confraternitas c. 30

VNaquæque Sodalitatum exercendæ pietati utique institutarum, suas habeat leges, ab Episcopo tamen inspectas, & approbatas, & Oratorium, quò ad statas preces Sodales conveniant, & pro talis Oratorii Custode spectatæ vitę Sacerdotem cùm suo proportionato salario eligat, ejusque curæ erit Sodales in pietatis officiis exercere, eisdem amictum à se benedictum tradere, Sodalitatis leges tueri: Omnibus officiis in oratorio per Sodales recitandis sedulò assistere. Habeat insuper sodalitas quælibet Confessarium à Nobis approbatum, cui singuli de more confiteantur. Ne verò quid Sodalitatis per incuriam pereat, habeat quælibet certos libros, in quibus omnia acta, & communi consilio decreta, omnia donata, & oblata, omnia legata, legatorumque onera, omnia mobilia, & immobilia, omnesque sumptus quoquo modo facti, vt planè accepti, expensique ratio constet, fideliter referantur, addito semper in omnibus anno, mense, & die.

Sodalitati asciscendi, & cooptandi, probatis moribus sint, fidei in rebus eruditi, Deum timentes, cunctisque Sodalitiis legibus semper parere parati, idcircò de eis priùs diligenter percunctandum, congoscendumque erit scrutinio etiam præcedente,

impu-

impuberesque saltem duodecimum excedant annū, & intereà minoribus bonæ indolis in Sanctis exerceri institutis, non denegetur; Si eleemosynæ Sodalitatis instituto distribuendæ sunt, id Sodales summa cum fide faciant, si quæ contentio inter Sodales oriatur, præstò sint omnes ad eam sedandam, dissidentesque in pristinam gratiam reuocandos. In suis autem Oratoriis oliuarum ramos, candelasque benedicere, & distribuere non audeant, nec eleemosynas, nisi permissu nostro quæritare, nec sine nostra, aut Summi Pontificis auctoritate nouam aliquam Sodalitatem quis instituere præsumat; Institutæ verò si suas leges negligant, aut Episcopi jussa, & mandata detrectent, eas Episcopus, si expedire videatur, solvat, ac de medio tollat.

d. Const. Clement. VIII. Concil. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 8.

Ad publicas, & ordinarias Processiones Sodalitates etiam non vocatæ, consueta hora accedant, omnique obedientiæ studio graviter àc devotè bini ordinatìm procedant Sodales, Litanias, Psalmosque iuxtà temporum congruentiam decantantes; si quæ forsan renuerint, aut ordinationes nostras adimplere neglexerint, arbitrio nostro puniantur, si verò ad aliquam per se Sodalitas processionem aliquo itura sit, Sacerdotem suum linea Cotta, & stola indutum adhibeat, & Sacerdos inter Officiales primum locum teneat.

Ita ad funus inuitatæ promptam pro officio operam præstent, & cùm de proprio agitur Confratre, non desinant ejus cadaver Sodalitatis sacco indutum

in feretro propriis humeris usque ad tumulũ levare, & Sodalitas mortis, quæ ex proprio instituto habet pauperũ, & miserabilium personarum piis officiis interesse, suo peculiari muneri satisfacere non omittat, & quotiescumque quævis, alia persona obierit; quæ nulli fuerit Sodalitati addicta, si fuerit vocata ipsa ad leuandum cadauer cum feretro, vt moris est promptè monemus accedere: Curent autem Officiales omnes Sodalitatum quotiescumque per Civitatem, & alia loca occasione prædicta associandi fidelium cadavera ad Ecclesias processionaliter se Confratres conferunt cum elevatione Crucis, ut sub illius adorabili signo certatìm accurrere cum solito indumento Societatis festinent.

Convivia ne in Oratorio, neve Sodalitatum im, pensa ulla fiant, nec in extraordinarium casum, aut in fabricationem, sive vexillorum renouationem sine necessitate, & scitu, permissuque nostro, pecuniæ illarum expendantur, periculo Officialibus indicto, si secus fecerint de proprio luituros. Circa verò bonorum administrationem, & quæ sub titulo de locis piis, sancimus, obseruentur.

Cõc. Mediol. 1. par. 3. tit. de Prior. loc. administrat.

Cœterùm Confratres, qui Sodalitatum per Diœcesim juxtà proprium institutum indumenta, vestesque non habuerint, è Confratrum numero, sicut & illi, qui habitum deferre ob obscœnitatem morum non merentur, abradantur, & qui Sancta eorum exercitamenta non frequentant privilegiis, & distributione rei frumentariæ Sodalitatis non gaudeant.

deant. Camerarii, & Officiales, si in reddenda exactionum ratione non docuerint, debitas adhibuisse diligentias in exigendis summis à debitoribus, teneantur de proprio, quantum ad eas, quas non exegerint, si peribunt, & successores in officio debebunt apud Nos instare contra Prędecessores pro executione.

Omnes verò pecuniarum summas, vel in censibus, vel in locis Montium, aut bonis stabilibus reinuestiendis pœnes ædem Sacram, vel Civitatis Camerarium, aut alias personas idoneas, Confratrum scrutinio probandas, deponi decernimus, & reinuestimenta ad formam Decretorum nostræ primæ Visitationis, Nobis consultis fieri jubemus.

CAPUT XXXIX.

De Regularibus.

QVi spretis Mundi bonis, carnisque illecebris superatis sese Dei famulatui manciparunt, Angelorum potiùs, quàm hominum gerunt ministerium, & ità viventes quemadmodum omnes suspicere, atque in honore habere debent, ità si à proprio vivendi proposito, institutoque deflexerint, & Religionis tantummodò habitum, vestemque non mores præseferant, nihil esse sciant, quò magis hominum animi, oculique offendantur:

Qua-

Quare Regulares omnes, quos ex corde amantissimo amplectimur, ac eorum Institutores tanquàm Ecclesiæ columnas veneramur, monemus, & in Domino hortamur, ut memores propriæ conditionis esse velint, & quorum Patrum sint filii sæpè recogitent, illorum sanctitatem, ac morum innocentiam recolant, & cunctis Christianæ perfectionis sese præbeant exempla.

At cùm nonnisi spontè sua Sanctum religionis propositum assumere quis debeat, ab eo quoque discedere marte suo, nequaquam potest, & qui licèt coactè illius onera subijsset, nisi ante transactum quinquennium probata re à superioribus esset dimissus, hic quoque cum aliis quibuscunque desertoribus pro transfuga est habendus, ac ad eundem statum retrahi, & tanquam Apostata debet puniri.

Intrà verò probationis annum, cùm quisque facultatem habeat ab incepto famulatu resilire, si Clericus fuerit, & beneficio Ecclesiastico erat provisus, non priùs id alteri tradatur, quam præfinita professioni dies excesserit, & interim æconomus àb Episcopo designatus ejus pro eo curam agat, qui fructus congrua pro se mercede retenta, aut successori, aut redeunti Clerico dabit.

Concil. Trid. sess. 25. c. 19. Conc. Tolet. 3. cap. 10. c. puella 20. c. 2. c. vlt. 32. q. 1. & eod. Concil. Tolet. 2. c. 24. in fin. 20. q. 1. c. non vir. de Regul. c. alieni. 3. q. 4. c. si quis de maior. & obed. c. 1. de Apostat.

Si cui Regulari, quamuis in Ecclesia sui ordinis animarum cura nostra in Diœcesi commendata sit, ea omnia, ad quæ cæteri Parochi tenentur, obseruet, & nisi à Nobis probetur ad ea obeunda munera non admittantur, quamuis arbitrio sui Superioris

Concil. Trid. sess. 25. de Refor. Reg. c. 11 Conc. Later. 3. in Append. tit. de Monac. c. 2.

ris amoveri possit, nullusque sivè in Paræciis, sivè in Prioratibus solus maneat.

E Monasteriorum suorum septis, aditisque Regulares omnes fœminas prohibeant, ne utique in excommunicationem Pontificali lege statutam incidant, & cum septorum finibus horti, viridaria, & cœtera spatia, quæ intra illorum ambitum sunt contineantur; si tamen circa ea aliqua dubitatio habeatur, Episcopus adhibitis Regularium Superioribus fines constituat, definiatque; Fœminæ autem, si adeò fuerint audaces, ut pedes quo eis non licet, inferant, à Nobis ex Pontificiarum sanctionum jure severè puniantur. *De statu Monach. c. Monachi, & c. quid Dei de Capell. Monach. c. cum ad Monasterium. Conc. Trent. c. 11. Concil. Turonen. 2. cap. 17.*

Qui verò Regularium extra Claustra degerint, nullius privilgii prætextu se immunes, tutosque credant, quin à Nobis de illorum delictis corrigi, ac juxta Canonicas sanctiones puniri valeant; & qui licet intra Claustra degentes, extra illa notoriè deliquisse comperientur, nisi à Monasteriorum Præfectis, Superioribusque infra tempus à Nobis præfigendum pro delicti gravitate, & modo culpæ coerceantur, à Nobis ipsis punientur. *Concil. Trid. sess. 6. de Ref. & sess. 4. c. 14 de Ref.* *Sess. 25. de Reg. c. 14. c. fin. §. si verò de stat. Monach.*

Hi vero, qui in paruis conuentibus ob exiguum numerum ad incongruum Claustralis observantiæ formam vivunt ex Apostolica determinatione etiam in his, quæ Regularem disciplinam concernunt, omnimodè nostrę jurisdictioni in Visitatione, ac correctione subjacere noscuntur, præscriptis pareant *Innocent. X. Bull.*

pa-

pareant decretis Sacræ Congregationis super Regularium statu.

De eo autem præcipuè commoneri Regulares volumus, quod ex Sacri Concilii Tridentini Decreto, cùm Sacram Scripturam explicare in eorum Monasteriis teneantur, curent, ut per aptum, doctumque Theologum huic Sancto muneri diligenter, studiosèque incumbatur.

Ea verò, quæ ad verbi Domini prædicationem, ad supplicationem, & funerum decreta in anteactis Capitibus observanda proposuimus, quantùm ad ipsos attinet, pariter charitatis, & religiositatis exemplo non solùm servent, sed & servando alios erudiant, idemque teneant quoad festos dies, novas Reliquias, novaque Miracula, & Indulgentias, quæ desuper quoad ipsa peculiariter sancivimus, & qui ad Confessiones Sacramentales audiendas à Nobis fuerint approbati, nostras hasce Synodales Constitutiones frequenter legere non graventur, ut opportunè non solùm de casibus Nobis reservatis, sed etiam quæ ab omnibus Confessoribus caveri, & servari ediximus, calleant exactè, ac opportunè studeant practicare.

Censuras, & Interdicta non solùm à Sede Apostolica, sed & à Nobis emanata in eisdem Ecclesiis promulgare requisiti, non recusent. In aliena Parochia munus Parochi, nisi de illius permissu ne attingant; Mulieres post editum partum ad proprium Parochum remittant pro Benedictione. Quo tempore

pore

pore in Majori Ecclesia Concio habetur, ipsi Campanarum pulsatione operam Concioni dantes ne turbent jisdem Campanis; Die Sabathi Sancti sonitum ne edant, priùsquam à Majori pariter Ecclesia signum acceperint. Monasteria Monialium ne divinæ quidem rei faciendæ causa, nisi scitu, & permissu nostro adeant, cùm Monialibus, nisi ex auctoritate Sacræ Congregationis, nec ad breve tempus alloquantur; Nullum denique novum Monasterium, Episcopo non permittente ædificent.

Dec. S. Cong. Conc. die 11. Maij 1669. approbat. per Clemen. IX. & X.

Item Regulares absque sociis soli ne vagentur extrà Claustra, ad Sæcularium domos, & præcipuè ubi fœminæ solæ inhabitant, ne accedant, neque sub prætextu audiendi Confessiones, nisi in casu periculosæ infirmitatis à Parentibus fuerint evocati, & licentiam expressam habuerint ab eorum Superioribus, quo casu si ægrotis Sacramentum Pœnitentiæ ministraverint, relinquant Syngrapham ab ipsis subscriptam pro attestatione administrati Sacramenti, aliàs ipso facto remaneant suspensi ab audiendis Confessionibus, & si aliter transgressores extrà Claustra fuerint per Executores nostræ Curiæ adinventi, carceri mancipabuntur.

In eorum Ecclesiis finita Missarum Celebratione, postquàm in sedibus Confessionalibus ad Sacramentum Pęnitentiæ ministrandum consederint, colloquia, & confabulationes priuatim extrà illas non habeant cum fęminis, nec in Sacrariis introducant, sub pęna pariter suspensionis ab audiendis Confes-

ſionibus, aliiſque ut per litteras Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, datas Vicario Capitulari ſub die 27. Novembris 1682.

CAPUT XL.

De Monialibus.

NE putet aliquis Sanctimonialium curam ita Nos parvi facere, ut omne ſtudium ſedulitatem, ac ex intenſo noſtri pectoris fervore diligentiam jis regendis, tutandiſque adhibere nolimus.

Siquidem illarum Clauſtra agri ſunt Eccleſiæ, cujus dilectus inter illorum lilia delectatur, & ſubindè per Infernalem aprum ea devaſtari, ac depaſci non decet, ſed illas quippè, quæ optimam partem eligentes, formoſæ inſontiſque Columbæ nomine à Cęleſti Sponſo in caverna maceriæ, in foraminibus petræ feliciter invitantur, rapaciſſimis tartareorum falconum ungulis oportet eſſe ſecluſas. Quare ſuper his digeſtas in peculiaribus Capitulis Conſtitutiones, prout Nobis aptiùs videbitur, vulgari ſermone ſcriptas dabimus, ac ad omnium earum intelligentiam accommodatas, quas ab accuratiſſimo Anteceſſore noſtro Donato, novimus efformatas, in uſum priſtinum revocari, cum jis, quas Eminentiſſimus Gabriellius, & Reverendiſſimus Montius pariter Prædeceſſores noſtri addiderunt, adamuſſim teneri, & obſervari, cum aliis Decretis

in

in nostra Visitatione factis, etiam ex Sanctæ hujus Synodi auctoritate decernimus, atque mandamus.

Cumque omnibus præterquàm jis, qui vel ratione sanguinis in primo, & secundo Consanguinitatis, vel affinitatis gradu ad Moniales attinent, eas ad colloquendum accedere sit prohibitum, illis etiam Sacris anni temporibus Adventus Domini, vel Quadragesimæ vetitum esse declaramus, transgressoresque sinè evidenti necessitate, ac legitima causa pęnis in eisdem Constitutionibus, ac Edictis nostris sancitis, puniri volumus; & sub excommunicationis pęna ipso facto incurrenda, & Nobis solis reservata, imò pecuniarum quoque, & carceris ad arbitrium nostrum edicimus, ne quis quocunque tempore larvatus, seù personatus ingredi valeat Monasteriorum Allocutorium, & ibi citharas, aliavè instrumenta pulsare, nec voce canere, vel alia jocularia facere audeat, & insuper propter debitam Sacræ virginitati reverentiam omnes caveant, ne propè ipsa Monasteria Instrumentorum pulsatione, ac fidibus, cantionibusque operam dando ullo pacto sese detineant, aut immorentur.



CAPUT XLI.

De Syndicis Monialium, & aliorum Piorum locorum.

Montius. SYndici Monasteriorum finito officii sui triennio, ab omni statim administratione rerum ad Monasteria pertinentium abstineant. Quod si in ea se aliquo pacto intrudant, omnes actus ab ipsis ita facti, omnesque contractus pro Monialibus celebrati, tanquàm sinè legitima auctoritate facti, celebratique nulli ipso facto, & irriti sunt. Sique aliqua exindè damna, & præjudicia Monasteriis obvenerint, ad ea Syndici tùm teneantur de suo:

Ex Decreto Sacri Concilii Tridentini sessione vigesima secunda capite nono.

Administratores, tàm Ecclesiastici, quàm Laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis Confraternitatis, eleemosynæ Montis Pietatis, & quorumcunque Piorum locorum singulis annis tenentur reddere rationem Administrationis Ordinario, privilegiis, & Consuetudinibus quibuscunque in contrarium sublatis. Prædicti igitur omnes pro suo debito ita adimplere adamussim id, non prætermittant; sique Nos aliquando ex aliqua locorum, aut Personarum Consuetudine, vel ex alia justa causa Nostrum animum movente, talem administrationem permiserimus, ad duos, vel ad summum

mum tres annos etiam extendi, & tale ratiocinium ad finem usque illius biennii, vel triennii prorogari; terminato tamen eo tempore; & administratione completa, præcipimus; & mandamus, ut ji Administratores bonorum Ecclesiasticorum, Hospitalium, Confraternitatum, Montium Pietatis, & quorumcunque Piorum locorum, sivè Ecclesiasticici, sivè Sæculares sint, saltèm intrà duos menses coram Nobis, vel nostro Vicario Generali de facta administratione, etiam spontè, & nemine requirente, rationem reddant; Deputati autem Capitulares pro fabrica Ecclesiæ nostræ Cathedralis idem faciant, si, & quando fuerint ad nostrum arbitrium requisiti. Qui verò id efficere intrà dictum tempus prætermiserint, pœnas arbitratu nostro incurrant, & prætereà ipso facto ad administrationem bonorum illius Ecclesiæ, vel loci Pii, vel alterius hujusmodi per decennium omninò inhabiles reddantur.

Insuper decernimus; ut quotiescunque futuris temporibus census creandi erunt ad favorem Beneficiorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & quorumcunque Piorum locorum, illa censuum creatio advertenter, & accuratè fiat. Et semper in eis promissio, & obligatio apponatur de præstanda pro illarum securitate intrà quinquennium cautione idonea, ad satisfactionem respectivè Beneficiorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & Piorum locorum cum quibus agitur, & cum approbatione Ordinarii, gratis tamen concedenda, deque illa renovanda

da deinceps usque ad extinctionem censuum de quinquennio in quinquennium, & quandocunque in casu deteriorationis bonorum, vel etiam mortis illius personę, quę censum fundaverat, si Judicio Ordinarii opportunum, vel necessarium videbitur juxtà Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium sæpiùs edita, & signanter in una Comensi 13. Januarii 1624. in Calaritana die 27. Januari 1632. in Senensi 12. Februarii 1639. quod si Syndici, Administratores, & Officiales, quocunque illi nomine censeantur secùs facere præsumpserint; & si Confratres in quolibet Sodalitio Sacro, piovè ad aliter eos creandos votum dare; imò si & Notarii ipsi sine talibus cautionibus, & solemnitatibus, à Nobis de Sacrarum Congregationum mente requisitis, de illis instrumenta facere audebunt, omnibus, & singulis illorum pœnam imponimus cedendi in illis censibus sic creatis in perpetuum onus fidejussorum, ne prædictæ illæ causæ, & loca Pia fraudem unquàm, & detrimentum ex ministrantium incuria, vel iniquitate patiantur.

CAPUT XLII.

De Tertiariis.

FOeminæ, quæ in sæculo remanentes habitum religionis assumere cupiunt, si solemniter id exequi voluerint, ad Superiores Regulares illorum

Or-

Ordinum; quos quæque ex illis ſelegerit, illas ad proprium habitum religionis electæ recipere ſpectat, atque ad ipſos veſtiendi eas officium pertinere, Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium decrevit. At ſcire oportet, ad habitum, & profeſſionem admittendas, & recipiendas non eſſe, niſi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, atque in ætate ſaltem quadraginta annorum conſtitutas, quæ de proprio habeant undè ſufficienter vivere poſſint, & non cum aliis viris, quàm cum Conſanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu ſibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia priùs impetrata, qui non aliter eam concedat, niſi de prædictis prævio examine diligenti ſibi conſtiterit. *20. Decemb. 1616.*

Quare mulieres prædictæ ſi virginalem, ſeù cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam non traduxerint, & alia requiſita per Lateranenſe Concilium præſcripta non habuerint, privilegia, exemptiones, & immunitates per Summos Pontifices conceſſas, ſibi non ſuffragari poſſe ſciant, & Regulares contra præſcriptam formam illas recipientes, & admittentes, ultrà ſuſpenſionis pœnam ab audiendis Confeſſionibus, quam incurſuros eſſe decernimus, & à qua niſi explicitè talis pęnæ remiſſionem Nobis petierint, non abſolventur, apud eorum Superiores, & Sacram Congregationem etiam facto condignam ultionem repoſcemus. *Conc. Later. II. ſub Leon. X. ſeſſ. 21. in fin. Idem Pontif. Conſtut. edit. ſub 1. Martij 1518.*

In prædicto habitu mulieribus concedendo, &

respectivè deferendo illud etiam servandum esse edicimus, ut quæ collegialiter non vivunt velum supra caput, quod suprajectum vocant deferri non permittatur, ita etiam nec pectorale, quod vulgo dicitur sotto gola, nec patientia; quod si quæ mulieres Tertiariæ supradicta tria, vel aliquid ipsorum deferre deprehensæ fuerint, primò à suis Confessoribus moneri volumus, indè si monitæ non dimiserint, per Ecclesiasticas censuras parere compellemus.

S. Congr. 20. Decemb. 1616. per Nicol. in flosculo verbo Tertiariæ.

CAPUT XLIII.

De Eremitis.

NUllum sivè Laicum, sivè Clericum habitum Eremiticum assumere, ac gestare posse mandamus, antequam in scriptis nostram licentiam obtinuerit, nullumque pariter commorari, ac diversari cum dicto habitu in Eremitoriis, Cellis, Ecclesiis, Domibus, Oratoriisque, seù locis Civitatis, & Diœcesis nostræ volumus, antequam per Nos, seù Vicarium Generalem illorum vita, statusque fuerit approbatus, & per eos nostra fuerit in aliquo præciso loco commorandi obtenta licentia, sub pęna carceris, & aliis arbitrio nostro infligendis, sine qua licentia, nullus ex Vicariis foraneis, sivè Archipresbyteris, sivè Parochis, dictos Eremitas sub quovis prætextu in suo Vicariatu, aut Cura recipiat,

cipiat, aut commorari, seù quæstum facere permittat.

Quibus autem assignata Oratoria, seù aliquæ cellæ fuerint, nullo modo liceat intra eas, & Eremitorii claustra hortosque, & interiorem loci ambitum fœminas recipere sub quovis prætextu, pœna Eremitis indicta carceris, & eiectionis ab assignato loco sine spe ampliùs in Diœcesi nostra commorandi, si in hoc contraventores, reosque esse comperiemus.

Curent in reliquis, se ritè in assumpti instituti regulis exerceri, cunctisque bonum de eorum vita præbeant odorem, quare nec noctu vagentur, nec die laicorum ædes, consabulationesque frequentent, neque cum fœminis ullo modo conversentur sub eisdem pœnis ut supra statutis.

CAPUT XLIV.

De Puerorum Institutione, & Doctrina Christiana.

CUM Puerorum educatio maximum sit Reipublicæ negocium; pendet enim ex eo omnis succrescentis Ecclesiæ spes, familiarum Patres strictissimè oneramus, ut non solùm filios in Doctrinæ Christianæ Dogmata erudiri satagant, & curent, verùm etiam in facultates Grammatices, & humaniores litteras, & pro modo ingenii, & capa-

citatis in altiorum ſcientiarum curſus introducant, & inſtruere curent, quin & Magiſtratum ipſum, Civeſque omnes de eo commonemus, & hortamur, ut per ipſos quanta poteſt ſollicitudine, diligentiaque ad Civitatis, familiarum, & Eccleſiæ ipſius commodum, & fœlicitatem proſpiciatur.

Et cum Deo dante perſpectiſſimè fuerit proviſum, ut in hac Civitate Aſculana RR. PP. Inclytæ Societatis Ieſu erudiendis Puerorum animis, ac ſtudentium mentibus excolendis, litteris, ac pietate ardenter ſe ingerant, Nos qui nobiſmet ipſis, & Eccleſiæ noſtræ de tanto Beneficio gratulamur, eoſdem non ſolum ad altiora petere in re tàm utili ſtrictiſſimè deprecamur, verùm attentè, & ſollicitè certiores reddere de grata noſtri animi voluntate non deficimus; & ſi forſan ad excitandam Puerorum deſcitiam, aut ipſorum Genitorum ſocordiam, in illorum applicationem auctoritatis noſtræ opus eſſe cognoverint, ut id Nobis aperire non deſinant, adhortamur, nam quoad poterimus arctiori, ac ſollicitiori modo eorum curæ coadivuabimus.

Cœteros verò Præceptores, quos per noſtræ Diœceſis loca Communitates habebunt curent, ut non ſolùm Ludimagiſtros, ſed & bonorum morum eſſe Directores, quos probatæ vitæ, ac pietatis adinventos, debita pecuniæ, ac ſolatii conditione alliciant, ut ad longum tempus illorum opere gaudentes, quàm maximum fructum ex eorum integritate, ac virtute capere poſſint.

Volu-

Volumus verò, eosdem Præceptores omnibus legibus parere, quas Leo X. in Lateranensi Secundo Concilio, & Sacra Tridentina Synodus pro Ludimagistris statuit, in quibus si quid deliquerint, pro modo culpæ à Nobis punientur.

Infra Scholarum ambitum, & illarum vicinia, nullus audeat pueros, aut scholares ullo ludorum, aut nugarum, sive deviationis genere allicere, seù perturbare, nullusque pariter scholas ipsas, & Præceptores insidiare, ac inquietare ullo pacto, rigidioribus, ac severioribus eis pœnis propositis, etiam excommunicationis, si alio modo perturbatorum temeritas auerti, aut compesci non poterit.

Licèt ubi de Parochis egimus plura, quæ ad Christianam Doctrinam pertinent cumulaverimus; quia tamen de tanto munere pertractare nunquam satis esse cognoscimus, peculiariter sub hoc titulo statuimus.

Primo, quod à Parochis non solum saltem omnibus diebus Dominicis, præcedente signo Campanæ propriæ Ecclesiæ Christiana Doctrina edoceatur, sed etiam præmisso per aliquem Adolescentulum tintinnabuli sonitu, ac ejusdem vocis clamore, quo per vias, & vicos propriarum Paræciarum auditores excitentur, seseque ad audiendam Christianam Doctrinam statim conferant.

In Ecclesia puellæ à pueris in aliquo seclusiori loco colligantur, ubi aliqua pia fœmina ad id Deputata assistat, quæ eos recitare faciat Orationem

Dominicalem, ſymbolum fidei, præcepta Decalogi, ac alia ſcitu neceſſaria in compendioſo Chriſtianæ Doctrinæ liberculo congeſta, & interim à Parocho inſtructis pueris, per eundem etiam puellarum inſtructio terminetur.

Et quia etiam paruulorum animos aliqua vis pręmii ad incumbendum ſtudio ſalutaris hujus Diſciplinæ ſolet allicere, ac in majorem rerum fidei ardorem ſolet promovere, injungimus Parocho, ut aliqua ſemper præmiola, & dona ſacrarum Imaginum diligentioribus pueris, & iis, qui ardentiùs rem ſacram addiſcere curaverint, diſtribuant, pro quarum impenſa unicum ſcutum pro quolibet anno tradi per turnum ab unaquaque ſodalitate erecta intra fines illius Paræciæ, vel Eccleſiæ, ubi Doctrina Chriſtiana explicatur, Parocho, ſeu Præfecto illius ſcholæ ſuademus, ut ſic Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitatis vices ſupplendo, etiam tanquam illi aggregatæ, Indulgentiarum theſauros à Summis Pontificibus conceſſos reportent; quod ſi fortè aliquis talium Confraternitatum Deputatus diſtributionem præmiorum ad Parochi, ſeù Inſtructoris nutum, ipſemet facere maluerit, non improbamus.

Parochis, qui ſuper prædicto munere culpabiliter negligendo ſe geſſerint, & pręſcriptis diebus Doctrinam Chriſtianam explicare de more inexcuſabili defectu non curaverint pænam ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendam propoſuimus Edicto noſtro Generali, ac Decretis Viſitationis, quam

pœ-

pænam hic quoque confirmamus pro unaquaque vice, qua defecerint diebus præfatis, ut supra.

Et cum per nostram Diæcesim aliquibus Parochis, qui extra mænia Civitatis, vel Oppidorum suarum Paræciarum fines recognoscunt, ibidem pluribus habitatoribus procul à Pastoris oculis, & voce residentibus, necessè sit suffragare, Decernimus, & mandamus, ut sub eadem suspensionis pæna omnes, & singuli Sacerdotes Cappellani, qui ad celebrandum diebus Dominicis, & festivis in Oratoriis, seu Ecclesiis campestribus accedere tenentur, debeant post peractum sacrificium pueris, ac populo ibidem intervenienti Doctrinam Christianam explicare, ac docere eo modo, quo facere debent Parochi, si ab eisdem fuerint super hoc adimplendo commoniti, atque rogati, prout eos facere debere volumus, quatenùs eorum muneri satisfacere sibi vires non suppetant, Parochi verò sæpè sæpiùs inde recognoscant, an à Coadiutoribus præfatis ritè suffragentur.

Parentes ac Domini, qui filios, vel servos ad ediscendam Christianam Doctrinam mittere, seu traducere non curant, si semel admoniti non paruerint Parocho, seù Institutori Deputato, pæna quinque juliorum pro qualibet vice singulos puniri volumus, erogandorum in emptionem præmiorum, vel beneficio illius Ecclesiæ, & si ob paupertatem ij, qui defecerint solvendo non erunt, carceratione plectantur, vel ab ingressu Ecclesiæ erunt interdicendi.

cendi. Quare Parochi de prædictis toties quotiès opus erit Nos faciant certiores, ut eorum instantiæ nostræ auctoritatis viribus assistamus, quam quidem pænam in manus Deputatorum societatum ad prædictum finem pervenire volumus &c.

Idem locum habeat pro Adultis, & natu majoribus, qui mysteriorum fidei rudes cùm sint, necessaria salutis dogmata ediscere non satagunt, talesque nullo pacto ad contrahenda matrimonia, vel aliqua publica munera obeunda admittantur, pæna arbitrio nostro taxanda controvenientibus proposita.

Insuper, ut in hoc tàm necessario salutis opere vecordes, & negligentes pluribus stimulis urgeantur; eosdem omni prorsus subsidio frumentariæ distributionis volumus carere, ut in Capitulo de Montibus, ediximus.

Vbi Doctrinæ Christianæ Sodalitates nõ sunt erectæ, si pro locorum qualitate erigi poterunt, Parochi curabunt erigere, & Clerici tàm in minoribus, quàm in majoribus Ordinibus constituti, qui in unaquaque Paræcia reperiuntur, pro tali Sodalitate primi intelligantur esse Sodales, quibus curæ sit Parochos adjuvare, & negocium Catholicæ fidei promovere.

Cætera, quæ super hoc in Capitulo de Parochis ordinata sunt, obseruentur.

CA-

CAPUT XLV.

De Seminario, ac Congregationibus.

CIrca Clericos nostri Seminarii separatìm hic quicquam præcipere, superuacaneum fore duximus, cum omnia quæ ad religiosam illorum educationem, ac rectam in litteris, & Ecclesiasticis institutionem disciplinis conducunt abundè collecta sint, & comprehendantur in ejusdem Seminarii Constitutionibus sancitis à Cardinali Bernerio sub die 27. Maii anno Domini 1590. sed ad illarum tantùm inviolabilem observationem omnes paternè admonemus, eosdemque hortamur in Domino, ut toto animo, ac totis viribus in Ecclesia Dei tales evadere studeant, ut spem optimam de illis conceptam, pietate, industria, & profectu ab ipsis præstitam esse, gaudere cum Dei Ecclesia possimus.

Ante horum Clericorum acceptationem, eorum ætas, mores, & qualitates à Sac. Conc. Trid. sess. 23. c. 18. de Reform. præscriptę, exactè, sincerè, & maturè attendantur.

Cæterùm quæ disposita sunt à Prędecessore nostro Sigismundo Donato in Seminarii Visitatione, quam fecit anno 1613. observari volumus, & mandamus.

Prę-

Præterea curet Rector, observari ea, quę ad Seminarii institutionem ordinata leguntur pro ejus Mediolanensi per Sanctum Carolum Ecclesiasticę disciplinæ prototypum, & Pastorum omnium fulgidissimum lumen.

Qualibet quinta feria, qua ipsius Alumnis vacatio à scholis permittitur, ipsis per Rectorem Catechismus Romanus ita explicetur, ut saltem per annum integra illius explicatio absolvatur.

In solemnioribus Cappellis inter Missarum solemnia proposito Evangelii themate brevem, ac piam latino sermone concionem habeat semper aliquis ex eisdem alumnis, seu Convictoribus, comptam quidem, sed puris verbis, ut magis Clericalem modestiam, ac gravitatem redoleant, quam vitiosi Rhetoris dicacitatem. Vacationum temporibus iidem cum ad domesticos lares dimittuntur, exteriori veste nigri coloris semper induti incedant, & diebus festis, ubicumque fuerint in Ecclesia Parochiali divinis officiis intersint, & celebrantibus superpelliceo induti deserviant, ut ita memores cælestis militiæ, cui à primo ingressu in Seminarium debebunt esse adscripti, eò magis abstineant ab omni publico ludo, & conversatione nimis frequenti cum Sæcularibus, à Comædiis, spectaculis, choreis, tripudiis; atque à delatione cujusuis generis armorum.

Sacræ lectiones in Cathedrali à Canonico, qui præbenda Theologali potitur super materia à Nobis

bis

bis quotannis designanda statis temporibus non omittantur, & ad eas omnes Clerici, pro quorum institutione, atque intelligentia congrua proponentur, de more conveniant, & negligentes in peculiari libro qualibet vice à Capituli Punctatoribus adnotentur, ut pro modo culpæ congrua animaduersione possint puniri.

Congregationes Sacerdotum, & Clericorum pro ipsorum institutione in Ecclesiasticis disciplinis tàm in Episcopali aula in Civitate, quàm in Diœcesi per Edictum, & Decreta nostra, & Antecessoris nostri ordinatæ, juxtà illorum dispositionem celebrentur, & negligentes Sacerdotes pro prima vice julios tres, pro secunda verò duplum, pro tertia licet interpolatè, si per malitiam defecerint nostro arbitrio punientur.

Vicarii vero foranei, si peracta Congregatione responsiones casuum cum nominibus eorum, qui non intervenerunt Nobis mittere distulerint pro qualibet vice solutioni unius scuti aurei erunt obnoxii, iisdem pœnis in usus pios erogandis.

Salutaribus temporibus Quadragesimæ, & Adventus D.N.Iesu Christi, quibus per Pœnitentiæ remedia animabus nostris Ecclesia mederi curat, saltem in quibuslibet diebus Sabathi talium hebdomadarum omnibus Ecclesiasticis personis Cleri nostri indictum esse volumus, ut non abesse velint à spiritualibus exercitamentis in Oratorio Patrum S. Philippi Nerii hujus Civitatis, ubi per aliquem semper

ex Sacerdotibus per Nos deputandis familiarem, & ex optimo, abundantique in Deum corde, cæteris fratrrbus ibidem congregatis, disposuimus singulis illis diebus sub Vesperas haberi sermonem.

Qui salubrem hanc interueniendi monitionem adimplere curaverint à summo bonorum omnium largitore singularis beneficentiæ retributionem peroptamus, & observationis nostræ pro animi gratitudine rependenda pignora certa captabunt.

CAPUT XLVI.

De Blasphemis.

VT horrendum, & execrabile blasphemorum crimen, quod in Cælum ipsum suæ iniquitatatis tela jacere non veretur, divinam bonitatem ad ultionem sævissimam prouocando, opportunis remediis, & sollicita animadversione supprimatur: Summorum Pontificum Leonis X. Iulii III. & Beati Pii V. Constitutionibus inhærentes strictè mandamus, ut quicumque sacrilego, atque incesto ore maledicere Deo, ausus fuerit, vel impuris, obscænisque verbis Jesu Christi Domini Nostri, aut Beatissimæ Virginis ejus Genitricis nomen usurpare, ac palàm, & expresè blasphemare: si Laici sint, tàm pecuniariis, quàm corporalibus pœnis, verberatione, exilio, Ecclesiæ foribus applicatione, linguæ perforatione,& ad triremes damnatione plectantur,

Si

Si verò Clerici, à quibus, prout in eis major est ratio beneficiorum, ita magis ab eis atrox hoc vitium debet abesse; primò fructibus unius anni omnium beneficiorum priventur, postmodum beneficiis ipsis exuantur, tertiò dignitatibus omnibus abrogatis, ademptisque deponantur, atque in exilium eijciantur.

Conc. Mediolan. p. 1. de Blasphemis. Leo X. in Conc. Later. sess. 9. in Bul. const. 7. § 33 supernæ dispositionis Iulius III. Const. 23. in mul. tis B. Pii V. const. 5. § 10. cum primũ.

Quod si nullo sint præditi beneficio, crimen, vel pecunia, vel corpore luant, deinde in carcere detrudantur, postremò degradati remigio addantur. Si quis autem sive Clericus, sive Laicus in Cælestes quoque Angelorum spiritus, & receptas in Cælum animas improba verba jactare, & in Dei sanctos contumeliosam linguam ausus fuerit relaxare, habita tanti criminis ponderatione, condigna pariter pænarum animadversione puniatur, & blasphemos nullus vel iræ, vel ebrietatis prætextus, à subeundis Apostolicarum Constitutionum pænis in judicio excusabit, si ex consuetudine procedit.

Quæ omnia, ut cunctis innotescant, omnibus Parochis nostræ Diæcesis injungimus, quatenùs memores esse velint Italicum Summarium prædictę Bullæ B. Pii V. populo sibi in curam tradito, promulgare, ac tàm sacrilegi criminis atrocitatem, acri detestatione sæpiùs increpare.

Parentes quoque & Domini, Mercatores, opificesque filios, & servos, ac Ministros, famulosque suos objurgare non cessent, ac etiam de domo eiicere non negligant, si eos nefario infectos scelere, ac in

c. non Patres 23. q. 5. c. error. dist. 83. c. facientis. dist. 88. c. negligere. q. 7. cap. præterea 23. q. 8.

in eo pertinaces invenerint, ne & ipſi dum tale flagitium tolerant, ejuſdem ſeſe quoque reos eſſe declarent.

Et ne peſtifera hæc lues incompreſſa lateat, omnes qui Inquiſitionis Edicto ſuper revelatione blaſphemorum non paruerint, pænas in illo præſcriptas incurrent, blaſphemis ipſis pares. Obedientes verò in denunciando, ex Lateranenſis Concilii ſanctione decem annorum Indulgentiam conſequentur.

Meminerint quapropter Confeſſarii admonere ſeriò Pænitentes de tali denunciandi obligatione, & denunciare renuentes, abſolvere non poſſe ſciant. Ipſos verò blaſphemos, præſertim recidivos ultra tres vices, non abſolvant, niſi priùs injuncta graviſſima pęnitentia, & obtenta à Nobis facultate.

l. Alear. vſus c. de relig. & ſumpt. funer. Et ut hujus pernicioſiſſimi ſceleris præcipuo eruptionis loco occurramns, publicos alearum, & talorum ludos omninò vetitos eſſe volumus, & prohibemus. Hortantes, & magnoperè in Domino commonentes Sæculares Magiſtratus, & Poteſtates, ut ſuper hoc ordinationem editam de mandato Sanctiſs. D. Noſtri Innocentii XI. initio ſui Pontificatus ac inſuper ut magnam ipſi quoque in vindicanda Altiſſimi ſummi boni injuria, curam, ſeveritatemque adhibeant.

CA-

CAPUT XLVII.

De Hæreticis, Judæis, & Schismaticis.

HÆretica labe suspectos, eosque, qui ab Ecclesiæ unione desciverunt intra nostri gregis septa non commorari confidimus, verùm si in hoc tàm pernicioso malo defraudaremur, strictissimè præcipimus omnibus & singulis Parochis, & Vicariis foraneis, aliisque quibus animarum cura incumbit, & de quorum manibus sangvinem ovjum, quæ ex ipsorum negligenti regimine peribunt, supremus Judex requiret, ut sedulò invigilent, ne in suis Paræciis aliquem latere sinant, sivè externum, sivè Civem, sivè incolam, aut advenam, quem sivè dicto, sivè facto, aut scripto hæresim redolere, aut errores orthodoxæ fidei dogmatibus adversos fovere considerent, & eorum nomina illicò ad Nos referant, sub pænis in Sacris Canonibus contentis, omnisque alius, sivè Sæcularis, sivè Clericus, aut Regularis, qui manifestè compertum, ac vehementer de tali crimine suspectum sciens occultaverit, & in decimam diem non indicaverit, excommunicationis latæ sententiæ pęna innodatus existet.

Judæos abesse à Civitate, Diæcesique nostra jubemus, & in ea commorari nisi à Nobis obtenta licentia pro paucis diebus nundinarum, aut alio breviori

Fr. S.Congr. S.Off.sub die 7.Ian. 1690. viori tempore juxtà Sacræ Congregationis Inquisitionis Decreta, & tunc eorum familiaritatem à fidelibus evitari præcipimus, illosque abstineri volumus tàm de die, quàm de nocte ab omni prorsus conversatione, commessatione, compotatione, ac quolibet commercio cum viris, & feminis Christianis, & pro habitatione conducant ædes ab omni alia fidelium conversatione seclusas, ac separatas, & nunquam per Civitatem, seù per Diœcesim nostram absque consueto signo incedant, pœnis carceris, pecuniarum, & etiam damnationis ad triremes pro qualitate casuum eis indictis.

CAPUT XLVIII.

De Magis, & Maleficis.

PEstiferum genus maleficorum, lamiarum, strygum, & Magorum, qui pacto cum Dæmonibus fædere Inferni, varia Dæmonum arte, ligamentis, nodis, caracteribus, verbis, aliisque magicis medicaminibus, vel certos corporibus inferre morbos, aut depellere, mentes auuertere, ac perturbare, formas immutare, & ventos, plvujas, tempestatemque ciere, vel sedare se posse credunt; itemque eos, qui vario divinamentorum genere, vel ex unguium signis, lineamentorum manus inspectione, ex aere, aqua, igne sortibus, somniis, monstris; sibi, aliisque futura prædicere, & facta, abditosque

Conc. Medi-lan. 1. tit. de mag. Artib.

tosque thesauros indicare, item eos, qui specula, ampullas, anulos, vel quid aliud ad magicos, vel superstitiosos usus fabricare, vendere, aut adhibere non verentur, è nostis Dilectissimi gregis finibus eliminare cupientes, eorum nomina ad Nos per Parochos, & quos sciunt deferri jubemus, ut ad tenorem Apostolicarum sanctionum, & Sacræ Inquisitionis præscripta puniri, & illorum audaciam comprimi, & opportunè possint extingui, pœna excommunicationis latæ sententiæ quibusque tàm Clericis, quàm Laicis, sivè Regularibus non revelantibus indicta.

26.q.5. cap. Pervenit. c. Contra Idolorum, & c. Episc.

Astrologiam quoque ac judiciariam artem exercentes, necnon Astrologos consulentes, si contra in Bullis tàm Sixti V. quam Urbani VIII. contenta excedere comperiemus, in dictarum pœnarum executione puniendos declaramus, augures, superstitiosos, sicuti Confessorum correctioni strictè subjacere ordinamus, ità & à Nobis puniri etiam Ecclesiasticorum Beneficiorum privatione, si Clerici sint, edicimus, atque sancimus.

Porrò etiam ii, qui quibusdam curandis morbis Sacris, Sacramentalibusque rebus superstitiosè, impièque abutuntur, & ad maleficia, & fascinationes adhibent, vel ad res prophanas, & ad turpia Sacræ Scripturæ verba traducunt, aut licèt ad avertenda fascinationum pericula iisdem impiis remediis in matrimonii, coniunctionisque perniciem, vel favorem trahere præsumunt, omni severitate

sunt

ſunt puniendi, & ſicut cæteri nobis in Sacro Inquiſitionis Tribunali revelandi, adhoc, ut quiſque in tàm pernicioſo, ac deteſtabili criminum genere ſi fuerit deprehenſus, in eum ex Canonum jure, & Concilii Tridentini Decretis graviter, ac ſeverè animadvertatur.

CAPUT XLIX.

De Libris prohibitis.

Servetur ab omnibus ad unguem poſtremus Index Summi Regnantis Pontificis Innocentii *Montius.* Undecimi juſſu editus cùm Regulis, & Appendicibus in eo contentis, & ſub pęnis ibidem appoſitis: Item omnia decreta librorum prohibitiva ultimo loco emanata.

Libros in eo vetitos ſine licentia legentes, vel præter habitæ licentiæ tenorem, vel eos apud ſe retinentes, ab omnibus, qui notitiam habuerint, Nobis, vel Vicario noſtro denuncientur, ſub Excommunicationis pęna, quam incurri ſtatim volumus, ſi intrà duodecim dies à notitia illius retentionis, & hujus decreti, parere contempſerint.

Librorum Impreſſores, ſeù Venditores in noſtra Dięceſi illorum librorum, quos venales habent indicem conficiant, & ad Nos, ſivè ad Vicarium noſtrum deferant, ab alterutro noſtrum ſubſcribendum,

dum, nec alium librum, ultra descriptos eo, tenere, aut vendere præsumant.

Hæredes, & Executores ultimarum voluntatum ejus defuncti, qui magnam reliquit copiam librorum, illorum Indicem conficiant intrà mensem ab adita hæreditate, vel executionis cura assumpta, quem ad Vicarium nostrum perferant; atque ante ipsorum, vel usum, vel translationem in alios, licentiam in scriptis ab illo obtineant, sine cujus Vicarii facultate, nec etiam Gabellarii consignabunt libros, qui in nostram Diœcesim introducuntur.

Nemo in hac Civitate, & Diœcesi libros à se, vel ab alio compositos, transmittat alibi, etiam in loco Ecclesiasticæ Ditionis, prælo committendos sine nostra, vel Vicarii nostri Generalis expressa approbatione in scriptis, in librorum initiis consignanda, sub pœnis ad arbitrium nostrum imponendis, ultra eas, quæ in Decreto Congregationis Sanctæ Inquisitionis emanato sub Urbano VIII. fuerunt impositæ. Decretum verò est infrascripti tenoris. Sanctissimus Dominus noster pro debito sui Pastoralis officii corrigere volens abusus nonnullorum in Statu Sedi Apostolicæ mediatè, vel immeddiatè subiecto existentium, qui libros à se compositos extrà præfatum statum absque ulla Ordinariorum, vel Inquisitorum loci, ubi degunt, approbatione, imprimendos transmittunt, statuit, & decrevit, ut in posterum nemo in Statu prædicto degens, cujusvis conditionis, gradus, & ordinis, ac dignitatis

existat, libros de quavis materia tractantes, & ubicunque compositos aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Sanctissimi D.Nostri Vicarii, & Magistri Sacri Palatii, si in Urbe, si verò extrà Urbem existat sine Ordinarii, & Inquisitoris loci illius, sivè ab jis deputatorum facultate, & licentia, operi præfigenda; Libros autem quos contra præsentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Et idem sensus planè fuit Alexandri Papæ VII. cujus in Indice librorum prohibitorum verba eadem, vel ipsorum Summarium extat in observationibus ad decimam Tridentini regulam, circa librorum prohibitionem.

CAPUT L.

De falsis Testibus.

UT execrabile falsitatis crimen ipsi Deo, qui veritas est, directè oppositum, à Civitate, & Diœcesi nostra amoveatur; statuimus, ut qui falsum testimonium in judicio dixerit contra personam in ea parte innocentem in causa tàm Criminali, quàm

Ci-

Civili, ultrà pęnas à Sacris Canonibus, & à legibus inflictas, excommunicationem etiam Nobis reservatam ipso facto incurrat, nunquam posteà nisi refecto damno, famæque restitutione secuta benigniter relaxandam; & eandem pęnam luant Cancellarii, Notarii, Advocati, Procuratores, & alii quicunque, qui contra justitiam, & conscientiam in detrimentum Reipublicæ, vel offensionem partis innocentis, testes in quavis causa corruperint, vel seduxerint, fraude, minis, præmio exhibito, vel promisso, sivè alio quocunque modo, quo minùs factum prout occurrerit, enarrent; aut testium dicta non integrè, nec fideliter scripserint, seù scribi fecerint; aut consilium in eo, & favorem scienter præstare præsumpserint, ut cum effectu falsitas in proximi præjudicium committatur. Et Confessarios monemus, ut accuratè cum talibus se gerant, & semel de tali crimine ex facultate à Nobis concessa absolutos, atque iterùm relapsos, ne per novam quidem nostram facultatem rursùs absolvant, nisi vitæ emendationem in posterùm prudenter speraverint secuturam, & aliquo tempore, prout occasio feret illos piis exercitationibus continuerint, ut vel sic aliquando discant, & facinoris gravitatem, & resipiscendi necessitatem.

CAPUT LI.

De libellis famosis.

Montius.

PRoximi famam auferre grave omninò peccatum est, sed in latissimo detractionis genere, species longè gravissima, scandalis hominum patens, & quamplurium peccatorum parens, ac nutrimentum, est libellorum famosorum usus; Hujus autem sensus veritatem, tunc sui calculi auctoritate firmavit Sanctus Gregorius, cum libelli infamatorii auctorem quendam à fidelium communione dejecit. Nos abominandi facinoris luem, quantùm cum Deo possumus, abolere cupientes, contra omnes, & singulos, qui libellos famosos scripserint, vel retinuerint, vulgaverint, vel transmiserint, excommunicationis latæ sententiæ sancimus pœnam; cujus absolutionem ita Nobis reservamus, ut eam relaxaturi non simus, nisi scelerosus Infamator scripto penitùs diverso Palinodiam canens, illius, cui detractum fuerat, honori consuluerit, & damnis refectis; si quæ forsitan consecuta sunt, illi ad arbitrium nostrum plenè satirfecerit, sub aliis etiam pœnis per Sacros Canones inflictis; & signanter per Summos Pontifices B. Pium V. & Gregorium XIII. contra componentes tales libellos famosos.

Excommuni. catio Episcop. reservata.

CA-

CAPUT LII.

De Concubinariis, Meretricibus, & Adulteris.

FOedum flagitiosæ usum libidinis; vitiorum omnium colluviem. eliminare à plebe Nobis commissa dùm cupimus, omnes intendimus industriæ nervos, ut saltem fędiora vel tollamus, vel coerceamus. *Montius.*

Primùm igitur Concubinatui solutorum; & (quod longè gravius, & scandalosius est) Uxoratorum, qui concubinas quandoque domi, etiam cum Uxoribus, & liberis, alunt impudenter, & retinent, opportunis remediis provisuri, adhortamur graviter omnes Animarum Curatores, etiam sub obtestatione Divini Judicii, ut omnem operam ponant, quò oves hujusmodi errantes, imò deperditas, si quæ tales in sua Paręcia sunt, ad Ovile Christi revocare conentur. Ut autem nostræ adhortationis gravitas, mandatorum etiam vigore roboretur, strictè præcipimus sub pęna etiam suspensionis à Divinis, & aliis arbitratu nostro omnibus Vicariis foraneis, & Parochis nostræ Dięcesis, ut si quem sivè solutum, sivè conjugatum, tàm masculum, quàm fæminam è suo Populo noverint in Concubinatu esse, illum, vel illam, atque adeò utrumque, cujusvis conditionis existat, ter graviter mo-

moneant; tertia vice duobus quoque testibus adhibitis, ut resipiscat, redeat ad bonam frugem, & ab illo cæno emergat, denunciantes, si contumaciter parere recusaverit, & intra novem dies ab ultima monitione facta ab ea peccati labe non abscesserit, eum excommunicatione feriendum esse à Nobis, vel à Vicario nostro Generali; sique admonitionibus, & denunciationibus præmissis, se nihil profecisse videant, fide scripta deferant ad Nos nomina Concubinariorum, monita facta, testes adhibitos, & notam diei, mensisque, quibus fuerunt adhibiti; tunc maturè processuri sumus ad infligendam censuram excommunicationis, etiam reservata Nobis absolutione: & tamen ante illam ad pecuniarias quoque pęnas, & Carceris ad arbitrium nostrum devenire, Nobis erit liberum si non resipuerint.

Concil. Trid. sess. 24. c. 8. de reform. Matrim.

Idem prorsùs Constitutum esse volumus adversus Adulteros, & Adulteras, tunc præcipuè, cum moniti, pertinaciter tamen in tàm nefario crimine perseverare dignoscentur. Imò si censuris, quas in eos protulerimus, neglectis, per annum in Concubinatu, vel Adulterio insordescentes permanserint, contra eos severiùs pro qualitate criminis procedemus, ut Nobis in Domino videbitur expedire, utquè Sacri Canones, & Tridentina Synodus decreverunt, idque nulla alia admonitione facta, & nemine requirente.

Quod si aliquem etiam Clericum (quod Deus avertat in Concubinatu, aut aliter inhonestè vive-

re,

re, aut cum suspectis fęminis conversari, compertum fuerit: Is pænis à Sacro Concilio Tridentino sessione vigesimaquinta cap. 14. de Reformatione præscriptis, aliisque arbitrio nostro pro delicti gravitate punietur.

Confessarii non absolvant Concubinarios, licèt occultos, nec alios in proxima occasione detentos, nisi Concubinatum, vel proximam occasionem dimiserint, nec admittant facilè prætensas fortè occasiones alieni scandali honoris proprii, vel cujuspiam falsæ necessitatis, utilitatis, & commodi, sibi redigentes in mentem, damnatam fuisse tanquàm improbabilem, falsam, & scandalosam, sub Alexandro VII. in Decreto Sanctæ Inquisitionis illam propositionem, quæ in numero damnatarum est quadragesima prima videlicet.

Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii (vulgò Regalo,) dùm deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ æpulæ tædio magno Concubinarium afficerent, & alia famula difficilè reperiretur.

Concubinarii, & Adulteri publici, etiam si Pœnitentes sint, & emendationem, vel spondeant, vel etiam exhibeant, sine nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia non absolvantur, nisi quatuor mensibus à vetito commercio, & occasione abstinuisse docuerint. *Concil. Trid. sess. 24. c. 8. de Reform.*

Declaramus autem publicos Concubinarios censen-

sendos, qui per sententiam, vel Confessionem Juridicam, vel per evidentiam facti, vel etiam per testes convincuntur in propria, vel aliena domo habere Mulierem de incontinentia diffamatam, & eam moniti à Superiori non dimittunt juxtà Concilium Lateranense quintum sessione 11. constitut. 2. Primitiva. Publicos verò Adulteros uxoratos illos, vel contra quos, vel similis juris publicatas, vel publica Adulterii fama, nota non dispari esse inurendos censebit.

Meretrices habitare non permittantur in viciniis honestis, & in locis ubi degere non consueverunt, nec propè Ecclesias, Oratoria, & Monasteria, tàm Virorum, quàm Mulierum; Et si quis locaverit ibi illis domus, & post Rectorum, vel Vicarii monitionem non ejecerit, mulctabitur duplo ejus, quod locationis prætium fuerat, applicando eidem Ecclesiæ, vel Oratorio, vel Monasterio, vel Pauperibus viciniæ.

Fœminæ Histrionum, & Circulatorum si inhonestæ sint, & malis artibus ad se juvenes alliciant, & colligant, subitò exilio à Vicario Generali plectantur, sique abire detrectent, carcere, & fustigatione.

Nulla Mulier inhonesta virili habitu, vel personata, vel aliqua parte corporis nuda incedat, noctu præsertim; & si qua talis ab initio Adventus usque ad Epiphaniam, vel à prima die Quadragesimæ, usque ad Octavam Paschatis cum aliquo impurè con-

conversata fuerit, Carcere, & fustibus coerceatur, aliisque arbitrio nostro pœnis.

Cauponariam, vel Tabernariam fœminæ solutæ non exerceant, præsertim si sint aliquo modo de impuritatæ suspectæ, nisi licentiam dederit Vicarius, qui non concedat, nisi citrà obscœnitatis periculum, eam permitti jam posse prudenter judicaverit.

Caupones non excipiant hospitio Meretrices tàm si indigenæ illæ sint, quàm si exteræ ultrà tres dies, & multò minùs hospitentur proprias Consanguineas, vel affines, si vel constet, vel suspicio gravis habeatur eas esse inhonestas, sub pænis ad arbitrium nostrum, & quæ de Meretricibus hoc toto Capite statuta sunt, in publicas etiam lenas sub eisdem pęnis statuta intelligantur.

Et quia non solùm effrænis impudicarum mulierum licentia cohibenda est, ne abutentes immodica libertate homines in suos fines inducere faciliùs queant, sed ipsa etiam honestarum pudicitia vallanda est, ne licentiùs agens in turpitudinem labendi periculum subeat; Idcircò honestis etiam fęminis larvarum, seù personarum usum, & viriles habitus noctu, diùque prohibemus; imò Choreas quoque per vias, & plateas, & ubicunque extrà domos, excepto solo tempore Bachanaliorum, sub pęnis ad arbitrium nostrum.

CAPUT LIII.

De Stupro, & Incæstu.

SI quis aliquam Virginem non modò violenter deflorare renuentem, & invitam, sed volentem etiam, & consentientem præsumpserit; mulieri consensienti carceris pœnam ad arbitrium nostrum; viro ultra pœnam corporis, dotisque solutionem mulieri, Nobis arbitrariam solutionem in piam causam erogandam quoque injungimus quinquaginta aureorum: Et facultatem hanc augendi, & minuendi pro personarum, facti, & circumstantiarum qualitate reservamus Nobis, qui de tali crimine per delationem Parentum, aut Consanguineorum, aut affinium sumus cognituri, & etiam ex officio ad similium delictorum licentiam refrænandam, si id viderimus expedire. Idque pariter fiet, & sub eisdem pœnis in eos, qui viduas violenter cognoverint.

Montius.

Incestum verò (crimen sanè execrabile) cùm prorsùs cupiamus aboleri; propterea indicimus, ut si quando copula incestuosa habita fuerit in primo, vel secundo consanguinitatis, vel in primo affinitatis gradu, viri triremium per quinque annos, & centum aureorum ad pios usus, fœminæ fustigationis pœnæ subjaceant.

CA-

CAPUT LIV.

De Usuris.

Usuræ omni, & Divino, & Humano Jure vetitæ sunt, & semper fuere. Detestabili igitur usurariæ multorum hominum pravitati pro viribus occurrere volentes, hæc, in quibus præcipuè regionibus, locisque Diœcesis nostræ frequentiùs in hoc genere peccari animadvertimus, nominatim hic prohibenda censuimus.

Ut nemo ex mutuata, vel depositata pecunia, quicquam ultrà sortem ex pactione recipiat, imò etiam pactione cessante, si potissima causa, qua ad mutuandum, vel deponendum est adductus, fuit hoc speratum lucrum. Idquè locum habeat, quantumvis pecunia Pupillaris, Viduarum, aut Piorum locorum, vel etiam dotalis sit, nisi quatenùs Jura fieri secùs permittant. *Montius.*

Nec in pecunia solùm, verùm in cæteris etiam rebus, hoc idem improbamus, ne scilicet cuiquam oleum, frumentum, aliævè fruges, aut res quælibet detur, ut plùs eo, quod datum est, sivè in eodem, sivè in alio genere reddatur.

Ad hæc edicimus, ne quid ob dilatam solutionem pluris, quàm ejus rei justum prætium sit, vendatur; nec item ob eandem anticipatam, viliùs eo-

dem justo prætio ematur, vel quod tardius solvendum erat, minùs solvatur.

Ex propositione damnata ab Innoc. XI propos. 40.

Item ut ei, qui præsenti pecunia indigeat, nihil, fide de prætio habita, sivè (ut dicunt) ad creditum ea vendatur lege, ut idem emptor, vel per se, vel per alium eandem rem ipsi venditori pecunia præsenti, & minori prætio retrovendat.

Frumentum quoque, aut aliud quidquam hujusmodi, quod vitiosum sit, ne mutuetur, ut tantundèm boni, & integri restituatur, etiam prætextu quantumcunque dilatæ restitutionis.

Ut census non solùm super fundis, aut domibus, aliisvè quibuscunque rebus, quæ infructiferæ sint, non creentur, sed nec super jis, quæ licèt fructiferæ sint, earum tamen fructus non perveniat ad censum quotannis ex illo contractu persolvendum. Ut denique ne quid aliud fiat in censibus, quod naturæ contractus, aut dispositioni Constitutionis à fel. rec. Pio Papa Quinto de censibus editæ, adversetur.

Si qui contractus ejusmodi, aut alios quosvis usuræ nomine damnatos inierint, tàm ipsi, quàm Tabelliones, qui eos conscripserint, aliique omnes sceleris ministri pęnas à jure, ac Pontificiis sanctionibus statutas, atque alias etiam arbitratu nostro gravissimas daturos se esse intelligant, qui per Dięcesim nostram croci mercaturam faciunt, caveant ne illum mixtione alterius rei falsificent sub excommunicationis pęna ipso facto incurrenda in Decretis nostræ Visitationis proposita.

CA-

CAPUT LV.

De Lusoribus, Histrionibus, & Nebulonibus.

Licèt ludos, qui ad otium, & torporem corporum, & animorum tollendum, in justam fuerint recreationem adinventi non prohibeamus, tamen volumus iis exercendis quandam limitatam adhiberi mensuram.

Quapropter eos, cujuscunque sint generis, temporibus Sacri Adventus, & Quadragesimæ publicè haberi vetamus; Alearum verò, & tesserarum ludus, neque in Apothecis, neque in Cauponis, neque in platea, neque in viis, vel alio quomodolibet publico, seù frequentato loco unquam habeatur, sub pena vigintiquinque aureorum in pios usus erogandorum. *Gabriellius*

Et ne ludentium strepitus officia Divina perturbet, propè Ecclesiam, aut Monasteria, aut intra illorum Claustra ludere prohibemus; Diebus verò festis intrà Civitatem publicè pariter ludos haberi vetamus, sicuti etiam extrà eam, & in Plateis Ecclesiarum Ruralium præsertim tempore, quo Sacra, & Divina officia celebrantur, & Christianæ fidei præcepta explicantur, sub penis à Nobis in Edictis propositis, & suo jam tempore specificandis, pro quo justa qualitatem abusus, & correctionis necessita- *Côc. Mediol. 1. p. 1. de festis, & Diu. cult.*

ta-

tatem Parochi nobis inſtent. Filii familiarum, qui capta ludendi licentia, bona Parentibus ſubtrahunt, & profundunt, ſeveritate admonitionis adhibita, per Parochos, eorumque Præceptores, ab exceſſibus hujuſmodi retrahantur. Illi verò, qui tales filios familias in ludorum perverſitatem, nulla charitatis inſpectione adhibita inducere curaverint, aut cum jis, aleis, cæteriſque malitiosè luſerint, pœnam carceris ſubeant, & quicquid lucrati fuerint, Parentibus reſtituere cogantur, ſoluta etiam Executoribus, aut locis piis, à Nobis taxanda, pecuniarum mulcta.

Præſtigiatores, qui inſpicientium oculos quadam occulta manuum dexteritate fallunt in publicum prodire, ludoſque exercere, Nobis inconſultis, non audeant, idemque obſervent, qui jaciunt Aleam, & ludos ſorti quocunque modo admittunt. *d. Conc. Mediol.*

Circulatores, Nebuloneſque, qui hominum cætu circumventi, veluti æra ſonantia, inaniaque vaſcula tinniunt, nonniſi obtenta licentia, merces exponant, & feſtivis diebus nullo pacto conſcendere ſcamna præſumant.

Et qui Hiſtriones, & Mimi, mulieres ad geſticulationes, & ad ſpectacula ducunt, ultra prohibitionem feſtivo tempore operandi, caveant ne cantiunculis, aliiſque recitationibus, turpia verba, inhoneſtoſque miſceant ullo pacto conceptus, niſi à Nobis velint alta ſeveritate puniri, & ſi quas mulieres prædicti ſecum habuerint impudicas, ſub eiſ-

dem

dem pœnis nunquàm tales ſe videndas exhibeant, aut ſcenicos actus exerceant.

CAPUT LVI.

De Miniſtris Curiæ Epiſcopalis, & Taxa.

MIniſtrorum noſtræ Curiæ qualitatem, eam eſſe decet, quam Eccleſiæ integritas, puritas, fideſque requirit.

Ideo Notarii Tabellioneſque noſtri integri, fideles, ſolertes, ac charitate quoque referti ſint, curentque diligenter, ac fideliter Officium exercere. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 20.*

Probatas taxas, & in Tribunali noſtro ſervari ſuetas obſeruent, & in rebus merè ſpiritualibus, nihil accipiant præter Scripturæ mercedem.

In Actis Cancellariæ noſtræ cuncta, quæ ad Eccleſiaſticum regimen Eccleſiaſticamque ditionem ſpectant, redigant, Bullarum, & expeditionum omnium regiſtrum faciant.

Pecunia, quæ ex pœnis, mulctiſque, ſive Clericorum, ſive aliorum conficietur, omnis apud unum Depoſitarium, quem Nos delegerimus, deponatur, & indè, niſi Eccleſiæ, & Piorum locorum uſu erogetur, & accepti, expenſæque quotannis ratio reddatur.

Excom-

Concil. Trid. sess. 25. de Refor. cap. 3. can. dilecto de sent. excõ. in 6. c. multis in princ. 2. q. 1. & c. corripiantur. 24. q. 3. c. Episc. c. nemo Episc. & c. nullus Sacerdotum. 11. q. 3. c. Sac. de sent. excõ. Ricc. in pra-ctic. Eccl.

Excommunicationes, quæ atrociores, & capitaliores sunt in Ecclesiastico regimine pœnæ, nonnisi valdè perpensè, ac deliberatè à Nobis prodire volumus, quare qui pro rebus denunciandis eas à Nobis exposcat, in supplici exponat libello res de quibus agitur, necnon illarum prætium, speciem, & rationem, ut Nos statuere valeamus, an annuendum, vel petitioni dissentiendum sit.

CAPUT LVII.

De Vicario Generali, & Vicariis Foraneis.

VIcarius noster Generalis, cùm nostras gerere vices debeat, ubi Nos gravitate curarum implicitì omnibus ministeriis, officiisque præsentes esse nequimus, tàm in Capitulis pro Nobis præsidendo, quàm in Tribunali justitiam ministrando, & ministris, ac executoribus superintendendo, curet, ut ea rectitudine, integritate, sollicitudinis zelo, justitiæ ardore, Prudentiæ, ac Charitatis effectibus, quibus Nos ipsi omnia omnibus facti esse cuperemus, delegatum obeat munus, & quo personam Nostram rebus expediendis, & dirimendis opportunam esse duxerit, & necessariam, absque ulla mora, absque ullo temporis discrimine Nos advocet. Cætera quæ Bernerius decrevit, & Montius in titulo de nostro Tribunali retulit, observet.

Omni

Omni autem fortiori manu, executorum, & Satellitum compescat insolentiam, & ubi eorum excessus cognoverit, acri eos faciat abire castigatione remissos.

Et cum ubique locorum in Diæcesi nostra nullo pacto præsentes esse possimus, opus est, ut negociis, & curis illarum Regionum, quæ longiùs à Nobis distant, Vicariorum foraneorum solertia, ac vigilantia sublevemur: Quare hi circumspiciant omni tempore diligenter, an in Parochiis regionum ipsis commissarum bene omnia procedant, & an ea, quæ in Visitatione nostra decrevimus debitæ demandentur executioni, seù potiùs negligantur: Vigiles in Parochorum vita, & moribus oculos habeant, observent, si quæ vitia in illis sint, an resideant, an lusores, & voluptatibus dediti, an muneris sui partes in Doctrina Christiana impleant, præsertim erga miserabiles suę Parochiæ personas, an Congregationibus intersint, an denique alio quocumque modo scandalo sint, quorum aliquid si compererint, & ipsi correctione proficere nequeant, Nobis, seù Vicario nostro Generali totam rem absque ullo fuco aperiant.

Caveant porrò iidem Vicarii foranei, ne aliquo se pacto ingerant in cognitione causarum facultates illis concessas excedentium, neue cum reis se componant, aut aliter mercedem paciscantur, quo illas vel jam deductas in judicium, vel fortasse nondũ ex *Monitus.*

deductas ſilentio involuant ſub pœna decem aureorum, prout juris applicandorum.

Et tàm ipſi Vicarii, quàm reliqui etiam Parochi, *Gabriellius.* niſi urgente gravi neceſſitate, aut publica aliqua utilitate ſic exigente, opera ſervilia diebus feſtis exercendi non audeant diſpenſare, & tunc pro tali diſpenſatione, neque quid minimi, licet ſpontè oblati pro ſeipſis, vel in eorum commodum, vel pro aliis donari, aut tradi patiantur, ſub pœna trium aureorum, ac privationis officii.

CAPUT LVIII.

De Viſitatione.

Seſſ. 25. c. 14. de R. for. & 24. c. 3. 9. & 10. & ſeſſ. 7. c. 8. ſeſſ. 22. cap. 8.

IN Viſitatione ſubditorum exceſſus tàm Clericorum, quàm Regularium extra Monaſteria degentium, corrigantur; curandum in primis ut cura animarum, aliaue debita Eccleſiis oqſequia exerceantur. Viſitentur quęcunque Eccleſię num reſtauratione egeant, & num aliis debitis officiis defraudentur, omnia etiam loca Pia, etiamſi ſub Laicorum cura exiſterent. Viſitatores à Nobis eligendi victualia tantum honeſtè, & competenter ſubminiſtranda percipiant, nec præter victum munus ullum vel minimum, aut pecuniam ſpontè oblatam, aut quid aliud recipiant ipſi, vel qui ſecum ſunt ſub reſtitutione dupli, aliiſque pœnis à Concilio inflictis,

neque

neque Notarii pro Decretorum in Visitatione editorum Scriptura, exemploue quidquam ab iis, qui visitantur, accipere volumus. Post tempus tamen Visitationis, si quis, cuius intereft copiam petierit, non prohibemus, quo minùs pro labore, atque opera in iis exscribendis, justam impensam recipere liceat. Constitutiones, & Decreta facta, vel facienda in obeundo Visitationis munere inuiolatè custodiantur, & executioni demandentur.

CAPUT LIX.

De Judicibus, & Examinatoribus Synodalibus.

SAcrosancti Concilii Tridentini Decretis, & Bonifacii VIII. & aliorum Summorum Pontificum Constitutionibus inhærentes proponimus, & nominamus in Judices Synodales usque ad aliam futuram Synodum infrascriptos Ecclesiasticos viros, videlicet.

Per Ill. & Adm. Reu. D. Franciscum Ciuccium Vicarium Generalem I. V. D. & Theologum Canonicum Cathedralis Ecclesiæ.

Per Ill. & Adm. R. D. Joannem Cautum Archidiaconum Cathedralis Ecclesiæ.

Per Ill. & Adm. R. D. Josephum Mariam Carpanum Canonicum Cathedtalis I.V.D.

Per Ill.& Adm. R. D. Joannem Philippum Cautum Canonicum Cathedralis.

Per Ill.& Adm.R.D.Aloysium Lentum Canonicum Cathedralis I.V.D.

Per Ill.& Adm.R.D.Hiacynthum Ferrum Canonicum Cathedralis.

Per Ill.& Adm.R.D.Hiacynthum Marcuccium I.V.D. & Pænitentiarium.

Et quoniam ex eodem Tridentino, in Diæcesana Synodo Examinatores proponendi, & nominandi sunt, qui admittendos ad curam animarum coram Nobis, vel Vicario nostro Generali diligenter excutiant; & quia etiam fel.rec. B. Pius V. in ea Constitntione, quàm edidit super Parochialium Ecclesiarum collationibus, grauiter suo more, idest sanctissimè inculcavit, ut ad hoc onus sanè gravissimum, & maximi momenti in Ecclesia Catholica, quemadmodum omnium Sanctorum Patrum luculento testimonio comprobatur, apti solùm, & idonei Viri recipiantur; propterea, quantum in Domino potuimus, rebus maturè perpensis, proponimus vobis in Examinatores Synodales, donec noua Diœcesana Synodus celebretur infra nominandas Ecclesiasticas personas, quas ad id muneris obeundum aptas, habilesque judicauimus esse futuras.

Nomi-

Nomina eorum, qui proponuntur, & nominantur in Examinatores Synodales.

Per Ill.& Adm. Reu. D. Franciscum Ciuccium I. V. D. Canonicum Theologum Cathedralis Ecclesiæ.

Per Ill.& Adm.R.D.Joannem Cautum Archidiaconum Cathedralis Ecclesiæ I.V.D.

Per Ill.& Adm. Reu. Josephum Mariam Carpanum Canonicum Cathedralis Ecclesiæ I.V.D.

Per Ill.& Adm.R.D.MatthæumGabriellium Canonicum Cathedralis Ecclesię.

Per Ill.& Adm. Reu. D. Aloysium Lentum Canonicum Cathedralis Ecclesiæ I.V.D.

Per Ill.& Adm.Reu. D. Hiacynthum Marcucciũ Canonicum Ecclesiæ Cathedralis I.V.D.

Per Ill. & Adm. Reu. D. Nicolaum Simonettum Canonicum CollegiatæTerræ Ophydæ,& Vicarium Commissarium.

Per Ill.& Adm.Reu. D. Joannem Baptistam Tutium I.V.D. Asculanum Priorem Parochialis Ecclesiæ S.Juliani, & Promotorem Synodi.

Per Ill.& Adm. Reu.D. Seraphinum Massinum Asculanum I.V.D.

Per

Per Ill.& Adm.R.D.Josephum Constantinum de Asculo Plebanum S.Leonardi I.V.D.

Per Ill. & Adm. Reu. D. Abb. Spiritum Capponum in Terra Amatricis.

Adm.Reu.P.Virgilium Sparigliam Presbyterum Sacerdotem Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii de Asculo.

Ex Regularibus.

Adm.Reu.P. Abbatem Lentum ab Asculo Ord. Olivetanum.

Adm. Reu. P. Magistrum Vincentium Joannettum de Asculo Ord.Præd.

Adm.Reu. P. Joannem Baptistam Pomponium Sac.Theologiæ Doctorem ab Asculo Ord.Præd.

Adm.Reu.P.Raymundum de Angelis ab Asculo Ord.Pręd.

Adm.Reu. Patrem Lectorem Aemigdium Ciuccium Ord.Præd.

Adm.Reu.P.Magistrum Bernardinum Angelum Caruccium Ord. Conuentual. S. Francisci de Castro S.Angeli Spoletanæ Diœcesis, S.Theol.Doct.

Adm. Reu. P. Grimaldum ejusdem Ord. Sacræ Theologiæ Doctorem.

Adm.Reu. P. Mag. Franciscum Antonium Modestum S.Theologiæ Doctorem ab Asculo Ord.Minor.Conu.S.Francisci.

Adm.

Adm.Reu.P.Lectorem Petrum à Folineano Ord. Min.Obseru.S.Francisci.

Adm.Reu.P.Theodorum de Asculo S.Theologię Profess.Ord.Minorum Obseruantię Reformat.Sancti Francisci.

Adm. Reu. P.Josephum Antonium Crucianum ab Asculo Ord.Min.Roform.S.Francisci.

Adm.Reu.P. Rectorem in Collegio Societ. Jesu Ciuitatis Asculanæ.

Adm. Reu. P. Andræam Sauinum de Firmo Societatis Jesu.

Adm.Reu. P. Carolum Ginestram de Asculo Societatis Jesu.

Adm.Reu.P.Felicem Ferrettum ab Asculo Ord. Carmel.Primi Instituti.

Adm.Reu.P.Placidum à S.Perpetua Ord.Discalceatorum S.Augustini.

CAPUT LX.

De Consultoribus Sancti Officii.

QVoniam præterea Nostræ partes sunt ex hujus nostræ Cathedræ speciali prærogatiua, quæ pertinent ad nostrum Sanctæ Inquisitionis Tribunal judicare: Ut in re tàm ardua, tantique momenti, ea, quæ par est, maturitate possimus

ſimus ferre judicium, eligimus, & deputamus in nostros Adſeſſores, & Conſultores infra nominandos viros, qui omnes cum aliis Officialibus in die feſto Sancti Petri Martyris Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis Patroni Sacrificio Miſſæ per Nos faciendo, vel cui aderimus in Cappella ad id deſignanda, pariter aſſiſtant, & qui non fuerint Sacerdotes, de manu noſtra, vel celebrantis Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento communicent.

Pro majori hujus Sacri Tribunalis obſervatione, in æde per Nos deputata propè noſtram Cancellariam Epiſcopalem, ab ea tamen ſejuncta, erigatur Archiuium cum ſcriniis, & arculis ligneis, quibus recludantur, ac cuſtodiantur fidelitèr, & ſtrictiſſimè ſcripturæ omnes, cauſarumque Proceſſus ad Sacram Inquiſitionem ſpectantes, cum Inventario, & claves ſcriniorum, & arcularum pænes nos, vel noſtrum Cuſtodem deputandum retineantur.

Nomi-

Nomina autem Consultorum sunt.

Ex Theologis Saecularibus.

Per Ill.& Adm. Reu.D. Franciscus Ciuccius Canonicus, Theologus, & Vicarius Generalis.

Adm.Reu.P.Virgilius Sgariglia Asculanus Congregationis Oratorii Sancti Philippi.

Ex Theologis Regularibus.

P.Bernardinus à Monte Prandono Min. Obseruantiæ S.Francisci.

P.Theodorus ab Asculo Ord.Min.Strict.Obseru. Sancti Francisci.

P.Ioseph Antonius ab Asculo ejusdem Ordinis.

P.Mag:Caruccius Ord.Min·Conuentualium.

P.Bernardinus Monaldus Rector Societatis Iesu.

P. Placidus Sanctæ Perpetuæ Ord. Discalceator. Sancti Augustini.

Ex Canonistis.

Per Ill. & Adm. R. D. Ioannes Cautus Archidiaconus I.V.D.

Per Ill. & Adm. R. D. Iosephus Maria Carpanus Canonicus Decanus I.V.D.

Per Ill.& Adm. R. D. Aloysius Lentus Canonicus I.V.D.

Per Ill.& Adm.R.D.Hyacinthus Marcuccius Pęnitentiarius I.V.D.

Per Ill.& R.D.Turrio de Turre I.V.D.Can.Cath.

Per Ill. & Adm. Reu. D. Seraphinus Massinus I. V.D.

Per Ill.& Adm.R.D.Mutius Mucciciellus I.V.D.

Ex Iuristis.

Per Ill.D.Emigdius Blanchinus I.V.D.

Per Ill.D.Ioannes Leonellius I.V.D.

Per Ill.D.Emigdius Nouellius I.V.D.

Per Ill.D.Erennius Massinus I.V.D.

Per Ill.D.Io.B.

Per Ill.Philippus Gabriellius I.V.D.

Per Ill. D.Ioannes Dominicus Lucentius I.V.D.

In

In Terra Ophide.

Admodum R.D. Canonicus Nicolaus Simonettus I.V.D.

Admodum R.D.Ioannes de Amicis Prior Collegiatæ I.V.D.

Admodum R. D. Canonicus Carolus Vannicola I.V.D.

In Terra Amatricis, Arquatæ, & Acumuli.

Admodum R.D.Abb.Spiritus Capponius I.V.D.

Admodum R. D. Abbas Dominicus Paulinus I.V.D.

Admodum R.D. Franciſcus Angelus Philotheus Vicarius Locumtenens.

Admodum R. D. Mutius Blaſius Vic. Foraneus Arquatæ I.V.D.

Admodum R. D. Thomas Organtinus de Acumulo Pleb.S.Salvatoris Arquatæ.

Adm.R.P. Mag.Vincentius Roſeus Min. Conu. Amatricis.

Adm.R.P.Mag. Eupitius Ord.Min.Conuentual. de Acquata.

CAPUT LXI.

De Testibus Synodalibus.

SAcrosanctis antiquorum Canonum decretis sancitum est, & usu nunquam intermisso servatum, ut in Diœcesana Synodo Viri aliquot graviores, zelo disciplinæ Clericalis illustres, forma facti totius Cleri, & verbo, exemploque potentes constituantur maturo delectu, ut accuratè perquirant, si quid in Civitate, & Diœcesi corrigendum, emendandumque sit; & quod tale cognoverint, illud Episcopo, vel Vicario Generali, vel Visitatoribus, aut ipsi significent, aut per alios significandum curent. Nos probatissimum Institutum, veluti legum Synodalium robur, & firmitudinem, retinere volentes, constituimus in Testes Synodales infrascriptos Ecclesiasticos viros, quos intereà gravitèr adhortamur in Domino, ut cæteris pietate, & sanctitate morum prælucere pergentes, ad Dei gloriam, & morum Reformationem, humanis affectibus seclusis, injunctum munus diligentèr, & fideliter exercere non negligant. Cujus rei gratia jusjurandum consuetum in manibus nostris, sed priuatìm in nostro Palatio præstabunt.

Erunt

Erunt itaque Testes Synodales.

Testes Synodales pro Civitate.

D. Archidiaconus.

D. Canonicus Jo. Philippus Cautus.

D. Canonicus Ludovicus de Melioribus.

D. Canonicus Nicolaus Talucius.

D. Emygdius Blanchinus.

D. Joseph Cherubinus.

DD. Omnes Parochi.

In Terra Ophidæ.

D. Vicarius Comm.

D. Prior Collegiatæ.

D. Canonicus Castellottus.

D. Canonicus Costantinus.

D. Isidorus Cataldus.

D. Marcus Pallotta.

In Terra Amatricis.

D. Vicar. Locumtenens.

D. Joannes Antonius Clarus.

In Terra Ancarani.

D. Erasmus Vannus Vic. Foraneus.

D. Paulus Antonius Gasparus.

D. Antonius Pellegrinus

D. Joseph Petruccius.

In Oppido Maltineani.

D. Octavius Galissa Vicarius perpetuus.

D. Franciscus Riccius.

In Terra Acumuli.

D. Petrus Laurus Vicarius Foraneus.

D. Jo. Dominicus de Presbyteris Pleb. Rochæ Sallæ.

In Terra Arquatæ.

D. Mutius Blasius Vicarius Foraneus.

D. Thomas Organtinus Pleb. SS. Salvatoris.

D.Ioseph Dioteguardus Præpositus S.Petri.

D. Bartholomæus Calvellius.

In Terra Montis Galli.

D. Lancellottus Vic.Foraneus.

D. Carolus de Rubeis Præpositus.

D. Petrus Lappa.

D.Carolus Zarletta.

In Oppido Apponeani.

D. Franciscus Alexandrinus Vic.For.

D.Bernardinus Ciampinus Plebanus.

D. Petrus Angelus Antonellius.

D. Theologus Nicolaus Pica.

In partibus Montaneæ.

DD. Vicarii Foranei.

D.Frãciscus Gallus Plebanus quintodecimo.

D.LeonidesPalombinus Curatus Aquæ Sanctæ.

D.Philippus Suffla Cur. Paesii.

In Partibus Mezzinæ.

D. Hyacinthus Paulettus Pleb. Venaruptæ.

D.Bonifacius Carbonus Cur.S.Flauiani.

D. Gregorius Cataldus Prior Mozzani.

D. Laurentius Cherubinus Præp. S.Stephani Marsiæ.

D.Hyacinthus Raymũdus Curatus Castri S. Petri.

D. Contes Gabriellius Cur. Capradossii.

D. Seraphinus Panicus Cur.Colliani.

D. Seraphinus Cretta Prior S.Cypriani.

D. Thomas Lombardus Cur.Venæ Montis.

D. Matthæus Põponius Cur.S.Petri.

D. Pomidorus Lupus Cur.Gimigliani.

D. Franciscus Chiappinus Cur.S.Angeli Lisciani.

In

In partibus Marinæ.
D. Antenorus Chiappinus Præp.Spinetuli.
D Hyacinthus Cherubinus Cur.Collium.
D.Andręas LazarusCuratus Lamæ.
D. Plebanus Georgius Mancinus Casturani.
D.IacobusFerioctius.

Item Officiales pro Spirituali Animarum directione.

Confessarii Cleri.
P. Cafolla Præpositus Oratorii S. Philippi.
P.Ciannaveus.
P.Ciuccius Dominican.
P. Mattheucius Augustinianus.
P. Carolus Ginestra Soc. Iesu.
P. Mucciarellius Societ. Iesu.
P.Grimaldus Ord.Con. S.Francisci.
P. Masinus Ord. Conv. S.Francisci.
Deputati ad recognoscendum onera Missarum:
D.Canon. Nicolaus Taluccius.
D. Can. Antonius Cautus.
D.Can. Cautus Cautus.
D.Io. Baptista Carpanus Præp.S.Martini.
D. Nicolaus Masinus Pleb. S.Victoris.
Præfecti 40. Horarum, & Processionum.
D.Can.Aloysius Lętus.
D. Can. Ludovicus de Melioribus.
D. Can. Nicolaus Taluccius.
D. Can. Antonius Cautus.
Coadiutores eorundem.
Antonius Antonellius.
Benedictus Vitelloctius.
Ia-

Iacobus Moronus.
Iacobus Scafciola.

Præfecti exercitiorũ Spiritualium inCivitate.

P. Mucciarellius Societ. Iesu.
P. Antonius Nutus Lector Phil.Soc.Iesu.
P. Politianus Oratorii S.Philippi.
P. Bastonus ejusdẽ Oratorii.
D. Turrionus de Turre.
D. Sciarra Cautus.

Præfecti Spirituales Carceratorum.

D. Turrionus de Turre.
D. Philippus Masseus.
D. Franciscus Odoardus.
D. Frãciscus Liverottus.
D. Iosephus Falconerius
D. Candidus Malaspina.

Revisores administrationum locorum piorum, et Montium frumentalium.

D. Vicarius Generalis.
D. Can. Carpanus.
D. Can. Hyacinthus Ferrius.

DD. Vicarii Foranii infra quisq; districtũ suũ.

Parochi, ubi illi desunt.

Præfecti Confraternitatum, & Sodalitatum, quorum partes sint invigilare, & inquirere, an omnia serventur ab unaquaque Sodalitate juxtà instituta propria erectionis.

Reverendiss. D. Vicarius Generalis.
DD. Vicarii Foranei Archipresbyteri, & Parochi.

Punctatores non intervenientium ad Congregationes Casuum Conscientiæ.

DD. Vicarii Foranei, & Præfecti Congregationum.

Cẽsores Cleri in Civitate.

D. Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis.
D. Canonicus Decanus.
D. Can. Carolus Hyacintus Abbas Cãpagna.

D.Ca-

D.Canonicus de Melioribus.
D.Josephus Cherubinus
D. Josephus Armilleus.
D.Philippus Masseus.
D.Turrionus à Turre.

In Ophida.

D. Prior Collegiatæ.
D.Canon.Fabianus.
D.Isidorus Cataldus.
D.Gregorius Coccia.

In Amairicæ.

D. Abbas Spiritus Caponius.
D. Abbas Paulinus.
D. Abbas Piccarus.
D. Vincentius Transius I.V.D.
D. Franciscus Angelus Filoteus Plebanus.

In reliqua Diœcesi.


DD.Vicarii, & Præfecti Congregationum.

Visitatores Doctrinæ Christianæ in Civitate.

D.Philippus Masseus.
D.Franciscus Odoardus
D.Turrionus de Turre.
D.Joseph Armilleus.
D.Sciarra Cautus.
D.Carolus Antolinus.
D. Jo. Baptista Marozzius.

In Terra Ophidæ.

D.Prior Collegiatæ.
D. Canonicus Vitalis.
D. Canonicus Coccia.
D. Canon.Mignuccius.
D.Canon.Gabriellius.



C A-

CAPUT LXII.

De Constitutionibus.

QUæcunque in præteritis Synodis Prædecessores nostri ad hujus Cleri, & Populi reformationem constituerunt, & decreverunt, dummodò non adversentur iis, quæ in hac Synodo constituimus, nec revocata sint, vel mutata, confirmamus, & inviolabiliter observari mandamus.

Et ut nullus, quæ in hac Sacra Synodo constituta sunt, ignorare se simulet, præcipimus Canonicis, Curatis, Archipresbyteris, cæterisque omnibus in Sacris Ordinibus, & in aliis quoque minoribus constitutis, itemque quorumvis locorum Piorum Rectoribus, & Præpositis tàm in Civitate, quàm in Diœcesi, ut infrà mensem post impressionem hujus Synodi, illam apud se habeant, ac retineant, & quæ in ea præscribuntur, sub constitutis pœnis ad unguem custodiant, & observent. Post impressionem verò publicatam, ita omnes arctari volumus, & ad parendum teneri, ac si esset singulis quidquid in ea continetur, personaliter intimatum. Facultatem verò interpetrandi, moderandi, & derogandi sine nova Synodi coactione nobismetipsis, & successoribus nostris reservamus.

Declarantes etiam, quod in his, in quibus nulla fuit expresè apposita pœna, contra Transgressores,

res,

res, pœnis à Sacris Canonibus, & Summorum Pontificum Constitutionibus appositis, ac aliis arbitrio nostro pro delictorum, & Personarum qualitate animadvertemus.

Cœterum omnia, quæ in præsenti Synodo statuta, & definita sunt, judicio, & auctoritati Sedis Apostolicæ subjicimus.

FINIS.

Ex hoc loco cum Synodi Secretarius è ſuggeſtu clara voce interrogaſſet an Clero ſatisfacerent omnes Conſtitutiones Synodales, & Univerſa Decreta propoſita. Nemine contradicente alta voce per Clerum, fuit reſponſum Placent.

ROGITUS NOTARII.

ET quoniam inſtante Adm.Reu.D. Joanne Battiſta Tutio Priore Parochialis Eccleſiæ Sancti Iuliani, & Promotore Synodali, ut de Conſtitutionibus, & Decretis Synodi præſentis, alta, & intelligibili voce perlectis per Patrem Virgilium Sgariliam Congregationis Oratorii Aſculani Presbyterum, & in Secretarium hujus Synodi Deputatum, *deque unanimi totius Cleri conſenſu* ad omnia in ea acta, & conſtituta in tribus ſeſſionibus habitis geſtis, & factis ſub diebus Septembris 12. 13. & 14. vnum, vel plura conficiatur, ſeu reſpectivè conficiantur Inſtrumen-

ta, in Archivio Episcopalis Curiæ ad perpetuam rei memoriam conseruanda, Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus, D. Joseph Salustius Fadulfus Episcopus, & Princeps Asculanus, postulationibus benignè annuit, & de omnibus, & singulis præmissis Instrumentum, & Instrumenta confici, publicari, & conseruari mandavit omni meliori modo. Ideò Ego Franciscus Zocchius ab Asculo publicus Auctoritate Apostolica Imperialique Notarius, ad presens supradicti Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, Domini Episcopi Cancellarius Generalis, & hujus etiam Synodi Notarius specialiter deputatus, de omnibus rogatus extiti, & in fidem hic me subscripsi, & publicavi, meoque solito signo signavi Anno Domini MDCLXXXVIII. sedente Sanctissimo Domino Nostro Domino Innocentio Divina Providentia Papa XI. Anno ejus XII. die verò XIV. Mensis Septembris ejusdem Anni, coram, & presentibus Ill. & Adm. Reu. D. Eustachio de Mutis à Sancto Severino Dominationis Suæ Illustrissime, & Reverendissime à Secretis, & Reu. D. Thomæ Mancini Asculano Testibus ad prædicta omnia

nia

nia in qualibet dictarum sessionum, specialiter habitis, vocatis, atque rogatis.

Loco ✠ Signi.

Franciscus Zocchius Synodi Notarius Deputatus.

APPENDIX SYNODALIS.

IN QUA

Plura in Synodo enunciata hic referuntur.

EDICTUM PARÆNETICUM AD REGULARES,

De nonnullis ad Sacrum Inquiſitionis Tribunal pertinentibus.

JOSEPHUS SALUSTIUS FADULFUS Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus, & Princeps Aſculanus.



CUM ſumma animi ſollicitudine curare omnia debeamus, quæ ad Sanctum attinent Inquiſitionis Tribunal, & præcipuè Conſtitutionum, Decretorum, & Ordinationum quarumcumque, quæ in cauſis ad ipſum ſpectantibus à Summis Pontificibus, & à Sacra Cardinalium Congregatione variis temporibus emanarunt, omnimodam executionem, & implementum, vt ſumus in hac Epiſcopali Cathedra ſpeciales Inquiſitores in

quæcumque genera Perſonarum, etiam quomodolibet exemptarum; Videamus autem à Regularibus familiis nonnullis, in hac Noſtra Diœceſi exiſtentibus, ſivè ex ignoratione rerum, ſivè ex incuria, ſivè etiam, quod abſit, ex contemptu, prætermiſſa hactenùs fuiſſe duorum decretorum, emanatorum à Sancta Romana, & Univerſali Inquiſitione, vnius ſcilicet ſub Urbano Papa VIII. die 14. Aprilis anno 1633. alterius verò ſub Alexandro VII. die 8. Julii anno 1660. publicam apud ipſas detentionem, conſervationem, in præfixis terminis lectionem, ut pariter notificationem annuam hujus rei executioni mandatæ Tribunali Noſtro Sanctæ Inquiſitionis per legitima, & in illis præſcripta documenta, neceſſariò faciendam; Idcircò, quanquam ea decreta jam ſatis Romæ promulgata fuerant, & ex mente; & auctoritate dictorum Summorum Pontificum ita afficiebant omnes, ad quos ſpectant, tamquam ſi fuiſſent ſingulis perſonaliter intimata, Nos, volentes præcepta illius Sacræ Congregationis per ſupradictos Summos Pontifices approbata, impleri, & omne ignorationis velum, ſivè prætextum amoveri, inter varias Conſtitutiones, & Edicta in fine noſtræ Synodi ad commoditatem, & uſum Eccleſiaſticorum, tàm Secularium, quàm Regularium imprimenda, hæc quoque apponi, & primum locum habere juſſimus, ut per hujuſmodi appoſitionem, & commodum, ſuæ obligationis memores, & eorum decretorum exempla apud ſe in loco pu-
blico

blico affigi, & conſervari, & ſuo tempore in Menſa, ſeù Capitulo legi, & ad noſtrum Tribunal, in quo ſimilium annotationum ſpecialem librum conſtituendum curavimus, rei ſic impletæ annuum Teſtimonium legitimum afferri omnes Religioſæ hujus Noſtræ Civitatis, & Diœceſis familiæ curent; Undè ipſæ etiam hujuſmodi executionis, & factæ exhibitionis fidem, gratis omninò dandam, referant; Si verò per inobedientiam, & contumaciam, quod non credimus, adhuc id exequi neglexerint, à Nobis, veluti ab Ordinariis Inquiſitoribus, pro omiſſionis, & culpæ gravitate puniantur. Meminerint intereà hujuſmodi lectionem, & ejus teſtificationem idcircò præcipi, ut quæ in vim illorum decretorum, ad Sanctam Inquiſitionem pertinentium, ſervare Regulares tenentur, ſic in mentem redacta, adamuſſim penitùs ſerventur. Ad quam plenam obſervantiam Nos hortamur illos in Domino, ut de ipſorum obedientia ſemper lætari poſſimus, & nunquam ad contumacium, & refractariorum punitionem devenire cum animi noſtri dolore cogamur. Datum Aſculi die prima Octobris 1689.



Fe-

Feria v. die xiv. Aprilis M. DC. XXXIII.

Decretum Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Urbani VIII. auctoritate munitum.

SAnctissimus Dominus Noster sedulò incumbens, ut ea, quæ salubriter Apostolicis Decretis, & Constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim, quæ ad S. Officium Inquisitionis contra hæreticam pravitatem pertinent, inviolabiliter observentur, & omnimodam sortiantur executionem, districtè mandat, & præcipit; Ut omnes Superiores cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularis, aut cujusvis alterius Instituti, etiam quantumvis exempti, & Privilegiati, teneantur sub pœna privationis officii, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis, in perpetuum semel saltem in anno, idest Feria sexta post Octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo, ad hoc specialiter convocato, & insuper in quocumque generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari congressu, suos subditos, ac Religiosos commonere de injuncta omnibus observantia, & exe-

executione earumdem Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum ad Sanctum Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentium, ac præsertim:

Julii III. Constitut. 2. incipit: *Licet à diversis*. Contra impedientes Inquisitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in Causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices, & fautores: & contra ipsos Inquisitores, admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem. Et Pii V. Constit. 82. incip. *Si de protegendis* contra occidentes, verberantes, dejicientes, aut perterrefacientes quemvis ex Ministris Sanctissimi Officii Inquisitionis, vel Episcoporum, id munus in sua Diœcesi, vel Provincia obeuntium, seù Accusatorem, Denunciatorem, aut Testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel evocatum: necnon contra diripientes, expugnantes, invadentes, incendentes, expilantes, aliove exportantes alicujus prædictorum bona, libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliavè instrumenta, sivè publica, sivè privata, ubicumque posita, eorumque complices, & fautores: & contra effringentes Carcerem, vel cæstodiam publicam, vel privatam, vel extrahentes, emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumvè eripientes, recipientes, occultantes, seù facultatem effugiendi dantes, seù id fieri jubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non secuto: nullatenùs excu-

san-

sandos, nisi claras tantummodò probationes in contrarium adducentes, & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus: inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite *legis Juliæ Majestatis*, eorumque filiis, irrogantur: & oblata revelantibus impunitate.

Pii IV. Constit. 31. incip. *Cum sicut nuper.* contra Sacerdotes, qui Pœnitentes Mulieres in actu sacramentalis Confessionis ad inhonestos actus provocare, & allicere tentant, & sollicitant; & Gregorii XV. Const. 34. incip. *Universi Dominici Gregis;* ampliativæ circa hujus criminis probationes, & extensivæ contra Confessarios, qui personas (quæcumque illæ sint) ad inhonesta, sivè inter se, sivè cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sivè ante, sivè post immediatè, seù occasione, vel prætextu Confessionis, vel extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut alio in loco ad audiendam Confessionem electo, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus habuerint, & contra Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis Confessariis sollicitatos esse, ut Inquisitoribus, vel Ordinariis sollicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

Gregorii XIII. Constit. 21. incip. *Officii nostri partes*. De Jurisdictione Inquisitorum hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniẽdos. Et Gregorii XV. Con-

Constit.29: incip. *Sanctissimus Dominus Noster auditis.* ampliativæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi B. Mariam Virginem conceptam esse in peccato originali.

Gregorii XV. Constit. 27. incip. *Romanus Pontifex in Specula.* revocatoriæ quarumcumque concessionum vivæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis Suæ Constit. extensivæ ad quoscumque, quantumvis privilegiatos, & exemptos incip. *Alias fel. rec. Gregorius Papa XV. sub dat. Romæ* 20. *Decembris* 1631.

Ejusdem Constit. 40. incip. *Apostolatus Officium.* Et Sanctitatis Suæ Constit. 114. incip. *Eo modo* revocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis Suæ Constit. 37. incip. *Sanctissimus Dominus Noster solicitè animadvertens.* De imaginibus nondùm à Sede Apostolica canonizatorum, vel Beatificatorum cum Radiis, Splendoribus, aut Laureolis, non proponendis: Tabellis, aut Luminaribus ad eorum Sepulchra non apponendis; eorumvè gestis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

Pariter Sanctitatis Suæ Constit. 50. incip. *Sanctissimus Dominus Noster pro debito sui Pastoralis Officii.* de libris ubicumque compositis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui degunt in Statu Ecclesiastico non transmittendis aliò, ut im-

primantur, finè Vicarii, & Magiſtri Sacri Palatii in Urbe, vel extrà eam finè Ordinarii, & Inquiſitoris, aut ab eis Deputatorum licentia. Et ejuſdem Sanctitatis Suæ Conſtit. ſub dat. Romæ die 5. Novembris 1631. incipien. *Cum ſicut accepimus.* Quod Conſtitutiones Apoſtolicę in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquiſitionis Officium hactenùs editæ, in poſterum etiam ſuper quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, niſi in edendis illis ſpecialiter excipiantur.

Et inſuper jidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſerventur, ita, ut ab eiſdem ſubditis Religioſis omnibus videri, ac legi commodè queant: Deque hujuſmodi commonitione publico documento ſtatim certiorem facere Congregationem Sanctiſſimę Inquiſitionis in Urbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas Sua.

Jo. Antonius Thomaſius S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not. & ſequitur publicatio &c.

Decretum Alexandri VII. editum Feria v. die 8. *Julii* 1660.

LIcèt aliàs per Conſtitutionem fel. rec. Pauli V. emanatam ſub die prima Septembris 1606. incipit. *Romanus Pontifex*, fuerit diſtrictè prohibitum

tum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel prætextu præventionis, aut conſuetudinis, & præſcriptionis, etiam immemorabilis, aut alio, in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus ſe quoquomodo intromittere, aut immiſcere, denunciationes recipere, Teſtes examinare, Proceſſus conficere, cauſas cognoſcere, aut terminare audeant; Immò ex ejuſdem Conſtitutionis diſpoſitione eiſdem fuerit graviter injunctum, ut ſuos ſubditos, ac Religioſos, quos hæreſis labe infectos, vel de hæreſi ſuſpectos noverint, abſque alia conſultatione cum propriis ſuæ Religionis Superioribus, vel alia quavis Perſona facienda, ſinè mora Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis vicinioribus denuncient.

§. 1. Nihilominùs animadvertens Sanctiſſimus D. N. Alexander VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem; adeò, ut nedùm ſuos ſubditos non denuncient, verùm etiam fideles ad ipſos pro conſilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare, quæ audierunt, aut viderunt, ad ipſum Sanctum Officium ſpectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, immò aliquandò eoſdem perperàm inſtruant, non teneri, nec ſub obligatione Conſtitutionum Apoſtolicarum comprehendi. Et hanc opinionem erroneis aliquot Doctorum ſententiis confirmare tentantes, eoſdem in maximum fidei diſcrimen ab onere denunciandi retrahere conentur.

§. 2. Volens proindè Sanctitas Sua abusum hujusmodi ex sui Pastoralis Officii debito coercere, post maturam facti discussionem, auditis Votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium adversùs hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, innovans Constitutionem prædictam à fel. rec. Paulo V. emanatam, & quatenùs opus sit, eam declarans.

§. 3. Hoc præsenti Decreto districtè præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpositis, aliisque ejusmodi quocumque nomine nuncupatis Superioribus cujuscumque Ordinis, & Instituti, sivè Mendicantium, sivè non Mendicantium, necnon Congregationis, & Societatis Clericorum Regularium quorumcumque, etiam Societatis Jesu, aliorumque, quomodocumque exemptorum, vel non exemptorum, etiam si essent specialiter, & nominatim exprimendi, ut omninò dictæ Constitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoscumque Religiosos, tàm sibi ipsis subditos, quàm non subditos, cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, hæreticos, ved de hæresi quomodocumque, etiam leviter, suspectos, deferant, & judicialiter denuncient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenùs in causis, ad Sanctum Officium spectantibus, audeant se intromittere, neque suos subditos ad Sanctum Officium recurrentes,

vel

vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo, sivè directè, sivè indirectè, avertere, retrahere, dissuadere. Immò prædictos suos subditos subditos monere debeant, ut ipsi quoque eidem Decreto omninò pareant, & alios Christi fideles, etiam Confratres suos, ad parendum pariter hortentur, & suadeant, rejectis penitùs hujusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua cum voto dictorum Eminentiss. DD. Cardinalium, tamquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, & à mente Sanctitatis Suæ prorsus alienas, reprobavit, & reprobat.

§.4. Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo, quod ipsis implendum incumbit cum Religiosis ejusdem, alteriusve Ordinis, aliisve quibuscumque personis de fide suspectis, cæterisque petentibus consilium in materiis ad S. Officium spectantibus, itaut nedum ipsimet denunciationes differant, vel ab illis prorsus abstineant, verum etiam multoties ab eisdem alios à se consilium petentes retrahant malis artibus. vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel sub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, aliove prætextu.

§.5. Propterea idem Sanctissimus declaravit, præfatos subditos absque alia participatione, etiamsi nulla petita venia à Superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omninò teneri, & obligatos esse, accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum

rum

rum quoſcumque etiam Confratres, ac Superiores etiam Primarios ſuos ejuſdem Ordinis, & Religionis, noverint eſſe de fide quomodolibet, etiam leviter, ſuſpectos.

§.6. Ac propterea eoſdem debere, omnes, & quoſcumque etiam alios à ſe conſilium, ut ſupra petentes monere, & obligare ad denunciandum, nec poſſe illos à denunciando ſub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare, & præfatos omnes tàm Superiores, quàm ſubditos contrafacientes. Sanctitas ſua voluit, & declaravit ſubiacere omnibus cenſuris in dicta Conſtitutione Pauli V. expreſſis, nec non privationis quarumcumque Dignitatum, ſeù Prælaturarum, ſeù Officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis activæ, & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem, ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendis, aliiſque Sanctitatis ſuæ, ac Succeſſorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, abſolutionem, vel diſpenſationem Sanctitas Sua ſibi ipſi, & Succeſſoribus ſuis Romanis Pontificibus tantùm expreſſe reſervavit.

§.7. Et ne præmiſſorum prætendi poſſit ignorantia, idem Sanctiſſimus mandavit ſub eiſdem pœnis, ipſo pariter facto incurrendis, ut ſupra reſeruatis; ut Superiores omnes præfati in quocnmque loco, Conuentu, vel Collegio ſui Ordinis, Decretum hoc ſemel ſaltem ſingulis annis, Kalendas Martii in publica Menſa, vel aliàs in Capitulo ad

hoc

hoc ſpecialiter convocato, legi curent una cum aliis Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ad Sanctum Officium Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem pertinentibus, quotannis legi ſolitis, iuxtà Decretum fel.rec.Urbani VIII.

§.8. Et inſuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſerventur, itaut ab iiſdem ſubditis Religioſis omnibus videri, ac legi commodè queant.

§.9. Deque hujuſmodi lectione, & commonitione publico documento ab iiſdem Superioribus Conventus, vel Domus ſubſcriptó, unàque ab aliis duobus Religioſis ejuſdem Domus, vel Conventus, ſtatim certiorem facere Congregationem Sanctæ Inquiſitionis in Urbe, vel locorum Inquiſitores, ubi ſunt.

§.10. Statuitque præterea Decretum hoc, ſeù illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum omnes ubique exiſtentes arctare, & afficere, ac ſi unicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

Joannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Et ſequitur publicatio.

Ex

Ex Constitutione san. mem. Gregor. Papæ XV. de exemptorum Privilegiis: Quæ incipit.

INscrutabili Dei providentia universalis Ecclesiæ regimini præsidentes, &c. *Multis omissis: sequitur.*

Verùm, quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationem postulare, ut Decretis ejusmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura, Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tàm Regulares, quàm Sæculares quomodolibet exempti, sivè animarum curam personarum Sæcularium Monasteriis, sivè domibus Regularibus, aut quibusuis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sivè Regularibus, sivè Sæcularibus incumbentem exerceant, sivè alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, prævia Episcopi licentia, & approbatione, sivè quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant, in his, quæ ejusmodi curam, seù administrationem concernunt omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, plenè in omnibus subiiciantur.

Ad

Ad hæc, tàm Regulares, quàm Sæculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quo minùs, si deliquerint circà personas intrà septa degentes, aut circa clausuram, vel circà bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum; ab Episcopo loci, similiter, tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quandò opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Confessores verò sive Regulares, sivè Sæculares quomodocumque exempti tàm Ordinarii, quàm extraordinarii ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed, & administrantes bona ad ejusmodi Monasteria sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subiectarum, pertinentia, sivè Regulares extiterint, sivè Sæculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis, tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, & administratores amoveant; iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit.

Ac similiter possit Episcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Prępositarum eorumdem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac pręsidere, absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

Ac demum habeat Episcopus, tamquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, & puniendi quoscumque exemptos tàm sęculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quę suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint, itaut Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

Quadraginta quinque Propositiones Morales, quas in Congreg. Generali S. Inquisitionis, partìm Feria quinta die 24. Septembris 1665. partim Feria pariter quinta die 18. Martii 1666. Alexander Papa VII. saltem tamquam scandalosas, sub excommunicatione latæ sententiæ Summis Pontificibus, citrà mortis articulum, reservata, damnavit, & tàm omnes, quàm earum aliquam, aut coniunctim, aut divisim, doceri, defendi, credi, aut etiam disputatiuè, publice, aut privatìm, nisi forsitan impugnando, tractari, vel in praxim deduci in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicii, omnibus omninò prohibuit. Quæ sunt.

1. HOmo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Divinorum præceptorum, ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis visa, & approbata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscumque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad Venerem inuitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis, est, si solicitatus confiteatur cum solicitante; hic potest eum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani Octavi.

9. Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Pec-

11. Peccata in Confessione oblita, seù omissa ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absoluere à Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso vel suæ Religioni publicè, & cum gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, & etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

Non

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quod sit pœna.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitat.

22. Non est contrà justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratìs, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, qui non vult, se subiicere præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opinionẽ æquè probabilem, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

Si

27. Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica, tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

29. In die jejunii qui sæpius modicum quid comederet, & si notabilem quantitatem in fine comedat, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolutè à præcepto jejunii, omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas anteà Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Uno Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ, uti privilegiis suis, quę sunt expresè revocata per Concil. Trid.

Indul-

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ sunt à Paulo V. hodiè sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quàm primùm, est consilii, non præceptum.

39. Illa particula *Quàm primum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantú veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus Concubinarius ad eiiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii (vulgo *Regalo*) dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno Concubinarium afficerent, & alia famula difficilè reperiretur.

42. Licitum est mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendum usque ad certum tempus.

43. Annuum Legatum pro anima relictum, non durat plus, quàm per decem annos.

44. Quoad forum conscientię, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censurę.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Feria

Feria v. die 2. Martii 1679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D.N.D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D.N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel.rec. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partìm ex diversis, vel libris, vel thesibus, seù scriptis excerptas, & partìm novitèr adinventas Theologorum plurium examini, & deindè Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpiùs discussis eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis. Idem

Sanctiſſimus D. N. re poſteà maturè conſiderata, ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimùm tamquàm ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenùs approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatìm dum probabilitate, ſivè intrinſeca, ſivè extrinſeca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemèl tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quin-

quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17. Satis est, actum fidei semel in vitâ elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum, similivè motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in Testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sivè res sit levis, sivè gravis.

26. Si

26. Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſivè interrogatus, ſivè propria ſponte, ſivè recreationis cauſa, ſivè quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt; quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur huic expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel mũnere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, & habito reſpectu ad intentionem exiſtentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi:

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ

jus

jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tàm hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quandiù in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertiò non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovendi-

ditionis prævè inito, cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est dum ultrà sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxàt tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quàndo temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui

qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involuere malitiam; & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Undè si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subseruit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo

Sa-

Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò, honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

59. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult omittere, quinimmò directè, et ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quandò cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilnm nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse. Quicumq; autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatìm tractaverit, vel prædicaverit; nisi forsàn impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandèm, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seù Scholastici, aut alii quicumque imposterùm se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tàm in libris imprimendis, ac manu-

scrip-

ſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhùc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à Sancta Sede recognita ſuper jiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

Franciſcus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.



COLLECTIO
EORUM,

Quæ à Parochis legenda, & explicanda sunt variis temporibus in Missa juxtà Constitutiones Synodales.

EDITTO

Per l'osservanza delle Feste, che deve leggersi il dì primo di Gennaro, Circoncisione del Signore.

GIUSEPPE SALUSTIO FADULFO per gratia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Vescovo, e Prencipe d'Ascoli.



E bene Noi nella presente nostra Sinodo, celebrata questi giorni, come speriamo per l'assistenza della Divina bontà, con non picciolo frutto dell' Anime alla nostra Cura commesse, confermando, & commandando, che sieno nuovamente stampate le ordinationi già fatte nella

Sinodo sua dall'Eminentissimo Cardinal Gabrielli, di felice memoria, Nostro Predecessore in questo peso Pastorale, intorno à quello, che per lo culto dovuto alla Sourana Maestà di Dio nelle Domeniche, e giorni Festivi di precetto doverà in avenire inviolabilmente osservarsi, credemo di haver sufficientemente adempito l'obligo Nostro; tanto più, che per questo istesso non sono mancati altri Nostri Editti, e diligenze in varii tempi: Nulladimeno, perche Dio severamente suol gastigare li temerarii trasgressori di questo suo importante commandamento, tanto che di esso in particolare, perche possa dirsi col Salmista: *Mandavit mandatum suum custodiri nimis*; inherendo ancora alla Santa mente del Beato Pio Papa V. e de' Sagri Canoni, Ordiniamo con molta premura, che nelle Domeniche, e Feste di precetto, da Noi espressamente dichiarate nella Nostra predetta Sinodo, secondo la moderatione fattane nella sua Bolla da Urbano Papa Ottavo, niuno presuma di fare, ò ordinare, ò permettere, che altri per lui faccia opere servili, & illecite in esse, e segnatamente, commandato il silentio del Foro nelle cose non concedute da' Sagri Canoni, prohibiamo le Fiere, e li Mercati, quando già celebrate le Messe, e gl'altri Divini Officii non si permettano da Noi, ò dal Nostro Vicario nella Città, e nella Diocese da i Foranei secondo la dispositione della Sinodo al Cap. 22. e parimẽte le vetture di robbe, e condotture di bestie con basti, e some da chì

co-

cominci dalla Patria nuovo viaggio; quando grave urgenza con facoltà del Nostro Vicario non renda lecito ancor questo. Vietamo ancora il vendere merci alle Botteghe, le quali però doveranno tenersi chiuse, permettendo Noi solamente il tenere sportelli aperti, & il vendere le cose necessarie, a' Spetiali, & altri Venditori publici di quello, che appartiene al vitto quotidiano; sotto pena a' Trasgressori di tre scudi per ciascuna volta, che contraverranno, e di altro ancora à Nostro arbitrio secondo la qualità del caso, dichiarando, che pagheranno tal pena per i figli i Padri, per i Servitori, & operarii i Padroni, secondo, che ricercherà il delitto, e la causa datane.

L'opere rusticane di Messura, Vendemmia, Cura di fieni, Canneve, di raccolta di frutti, e d'altre cose simili in caso solo di necessità si permetteranno da' Vicarii foranei; & in lor mancanza da' Parochi, li quali avertiranno ad osservare quanto in questa parte nella Sinodo è prescritto al titolo de' Vicarii foranei.

Di quei giorni i Commedianti, Saltimbanchi, e Ciarlatani, nè per le strade, nè meno nelle Piazze, ancorche non montassero in Palco, ardiscano di far le loro Commedie, & Rappresentationi delle lor favole, e giuochi, ò vender le loro robbe, se non doppo terminate le Messe, e tutti gl' Officii Matutini, quando n'haveranno havuta la licenza dal nostro Vicario Generale, e colle limitationi, che

che in essa saranno contenute. Ricordiamo, che la pena imposta già dal predetto Eminentissimo Gabrielli, e da Noi confermata in questo Sinodo contro quelli, che publicamente à carte, e dadi, & altri giuochi illeciti giuocheranno nell'Hosterie, Piazze, Botteghe &c. si farà rigorosamente esseguire, massime contro quelli, che violaranno l'ordine ne' dì Festivi, ò di Quaresima, ò dell' Avvento, ò vicino alle Chiese, quando in esse si faranno funtioni Sagre; & imponiamo anche la pena d'uno scudo per volta, à chì, se bene non giocasse sarà per ogni modo trovato in tali tempi à veder giuocare.

E perche le sudette cose si prohibiscono, acciò chì non può star sempre per i bisogni del corpo applicato al culto di Dio, & alla cura dell' Anima, in questi tempi almeno, che sono determinati così discretamente, non manchi di applicarvisi; Essortiamo tutti, che oltre all' adempir l' obligo Ecclesiastico intorno alla Santa Messa (il che per molti rispetti, per quanto sia commodo, è bene, che si faccia nella propria Parocchia) cerchino d' intervenire a' Vespri, Rosarii, Sermoni, Dottrine Christiane, & altre opere di spirito, & in mancanza di tali cose, almeno ad Orationi private, acciò così siano veramente santificate le Feste. Il che fà meglio di tutti gl'altri, chì frequenta in esse rettamente li Santi Sagramenti della Confessione, e Communione. Dato in Ascoli nel fine della Sinodo Diocesana 14. Settembre 1688.

Som-

Sommario della Bolla del Beato Pio V. contro i Bestemmiatori, che si hà da leggere nelle Feste della Purificatione della Madonna alli 2. di Febraro, e nella Domenica della Pentecoste.

IL Beato Pio Quinto, bramando rimediare con efficaci, & opportuni rimedii all' empio abuso di quelli, che bestemmiano il Santissimo Nome di Dio, ò della Beata Vergine, e d'altri Santi, Ordina per una sua Bolla, che ciascun Laico bestemmiatore del Nome di Dio, di Giesù, e della Beata Madre sempre Vergine Maria, per la prima volta caschi in pena di venticinque scudi, per la seconda di cinquanta, per la terza di cento, e d'infamia; e di più dell'esilio della Città.

Che se fosse huomo plebeo, e povero, talmente, che non potesse pagare la sudetta pena, per la prima volta, posto con le mani ligate di dietro, stia d'avanti la porta della Chiesa per un giorno intiero: per la seconda, sia frustato per la Città: per la terza, gli sia forata la lingua, e mandato in galera.

Che ciascun Chierico, ò Prete bestemmiatore, per la prima volta sia privato di tutti i frutti d'un anno de beneficii suoi: per la seconda, di essi beneficii: per la terza spogliato, e privato d'ogni dignità, e sia mandato in esilio.

Che non havendo beneficio per la prima volta sia gastigato in pena pecuniaria, ò corporale: per la seconda, in pena della prigione: per la terza della degradatione verbale, e della galera.

Che generalmente tutti quelli, che bestemmiano altri Santi, secondo la qualità della bestemmia, e della persona, siano puniti ad arbitrio del Giudice.

Che i Giudici Secolari, i quali non punissero i rei convinti in delitto così esecrabile, soggiacciano alle medesime pene de i delinquenti. Na dall'altra parte, tutti i Giudici diligenti, che severamente li puniranno, per ciascuna volta conseguiscano indulgenza d'anni diece, e la terza parte della pena pecuniaria.

Che chi udirà bestemmiare, sia obligato di riprendere il delinquente, aspramente con parole (purche ciò possa fare senza suo pericolo) e poi denuntiarlo, e notificarlo fra tre giorni al Giudice Ecclesiastico, ò Secolare.

Che se fossero più d'uno, che l'havessero udito bestemmiare, tutti siano tenuti à denuntiarlo, eccetto se fra di loro si fossero convenuti, che un solo facesse l'offitio per tutti.

Che i denuntiatori, e notificatori guadagnino la medesima Indulgenza sopradetta d'anni diece, e la terza parte della detta pena.

Che finalmente nel foro della penitenza, ò della coscienza nessun bestemmiatore possa esser assoluto senza gravissima penitenza da imporsigli dal Confessore.

Editto del Sant' Offitio da leggersi nelle prime Domeniche della Quaresima, e dell' Avvento.

Noi Francesco Vescovo d'Ostia Barberino &c.

Essendo à Noi per la continua esperienza manifesto, che molti per malitia, altri per inobedienza, & altri per ignoranza, non sodisfanno all'obligo, che hanno di denuntiare al Sant'Offitio li delitti spettanti ad esso, che perciò succedono grandissimi inconvenienti, & errori, non solamente contro i buoni, e Christiani costumi, ma ancora contro la Fede Cattolica. Noi per tanto, à quali specialmente deve essere à cuore la gloria di Dio, la conservatione, & augmento della Fede Cattolica, e la salute dell'anime, volendo provedere à tanto disordine, con autorità Apostolica à Noi commessa, commandiamo in virtù di Santa obedienza, e sotto pena di Scommunica di lata sentenza, oltre l'altre pene prescritte da' Sagri Canoni, Decreti, Constitutioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del presente Editto à tutti, & à ciascuna persona di qualunque stato, grado, e conditione, ò dignità, così Ecclesiastica, come secolare, che frà il termine d'un mese; dieci dì del quale siano per il primo, dieci per il secondo, & dieci per il

il terzo termine perentorio, si debbano rivelare, e giuridicamente notificare al Sant' Offitio, overo à gl'Ordinarii, tutti, e ciascuno di quelli, de' quali sappiano, ò habbiano, ò haveranno notitia.

Che siano Eretici, ò sospetti, ò diffamati d'Eresia, ò credenti, ò fautori, ò ricettatori, ò difensori loro, ò habbiano adherito, ò adheriscano a' riti de' Giudei, ò de' Maumettani, ò de Gentili, ò habbiano apostatato dalla S. Fede Christiana.

Che habbiano fatti, ò facciano atti, da quali si possa argomentare patto espresso, ò tacito col Demonio, essercitando incanti, magie, sortilegii, porgendoli suffumigii, ò incensi per trovar Tesori, & altri intenti, chiedendo da lui risposte, & invocandolo, & à quest'effetto promettendogli obbedienza, & consacrandogli pentacoli, libri, spade, e specchi, ò altre cose, nelle quali intervenga il nome, & opera sua.

Che si siano ingeriti, ò ingeriscano in esperimenti di Negromantia, ò di qualsisia altra sorte di Magia, con entrare ne' circoli, far l'esperimento della Caraffa, ò del Crivello per trovar i medesimi Tesori, cose nascoste, rubbate, ò perdute, e fare altre simili, e superstitiose attioni ad altri fini, massime con abuso de' Sagramenti, ò di cose Sagre, ò benedette.

Che senza licenza dovuta ritenghino scritti, che contenghino Eresie, ò Libri di Eretici, che trattino *ex professo* di Religione, ò che gli habbino letti,

 ò te-

ò tenuti, ò ſtampaui, ò fatti ſtampare, ò li leggano, tengano, ſtampino, facciano ſtampare, introducano, ò difendino ſotto qualſivoglia preteſto, ò colore.

Che habbiano libri di Negromantia, Magìa, ò continenti Incanteſimi, Sortilegii, e ſimili Superſtitioni, maſſime con abuſo di coſe Sacre.

Che contro il voto ſolenne fatto nella Profeſſione in qualſivoglia Religione approvata, ò dopo haver preſo l'Ordine Sacro, habbiano contratto, ò contrahano Matrimonio.

Che vivendo la prima Moglie piglino la ſeconda, ò vivendo il primo Marito piglino il ſecondo.

Che contro i Decreti, e Conſtitutioni Apoſtoliche, habbiano abuſato, ò abuſino il Sacramento della Penitenza, ſervendoſi della Confeſſione, e Confeſſionario à fini dishoneſti, ſollecitando in eſſi i Penitenti *ad turpia*, & havendo con eſſi diſcorſi di coſe illecite, e non convenienti al fine, per il quale è ſtato inſtituito.

Che habbiano proferito, ò proferiſcano beſtemmie ereticali contro Dio, la Beatiſſima Vergine, e Santi, ò procedano à qualche atto di offeſa, e diſprezzo contro l' Imagini, ò Figure rappreſentanti il medeſimo.

Che habbiano tenute, ò tenghino occulte conventicole, ò radunanze in pregiuditio, diſprezzo; ò contro la Religione.

Che habbiano indotto qualche Chriſtiano ad abbrac-

bracciare il Giudaiſmo, ò altra Setta contraria alla Fede Cattolica, ò impedito i Giudei, ò Turchi dal battezzarſi.

Che non eſſendo Sacerdoti, s'habbiano con ſacrilego ardire uſurpato, ò ſi uſurpino di celebrar Meſſa, ancorche non habbiano proferito le parole della Conſecratione, ò habbiano preſonto di miniſtrare il Sacramento della Penitenza a' Fedeli di Chriſto, ancorche non ſi ſia venuto all'atto dell'aſſolutione.

In oltre ſi dichiara, che quelli i quali non denunciaranno, come ſi ordina con il preſente Editto, non poſſono eſſere da alcuno aſſoluti, ſe non dal S. Offitio, dopo che haveranno in eſſo giuridicamente rivelato li Delinquenti, al che non poſſono ſodisfare con bollettini, ò lettere, ſenza nome, e cognome dell'Autore, ò altri modi incerti, de' quali non ſi tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Si dichiara anche, che con la ſudetta eſpreſſione de' caſi di ſopra da Noi ſpecificati da rivelarſi, non ſi eſcludono gl'altri caſi ſpettanti al S. Offitio, che per altro ſono compreſi ne i Sacri Canoni, Conſtitutioni, e Bolle de' Sommi Ponteſici; Nè meno col preſente Editto s'intenda derogato all'altre proviſioni Canoniche, & Apoſtoliche, & à gli altri Editti degli Ordinarii, & Inquiſitori.

Et à fine, che del preſente Editto non ſi poſſa pretendere ignoranza, commandiamo, che ſia affiſſo per i luoghi ſoliti di Roma, e ſi notifichi alli

Ve-

Vescovi delle Città vicine à Roma; nelle quali non sono Inquisitori, acciò lo publichino, & ordinino, che li Parochi delle loro Diocesi lo legghino ogni anno la prima Domenica dell'Avvento, e la prima Domenica di Quaresima; il che parimente vogliamo, che si facci dalli Parochi, e Regolari di Roma nelle loro Chiese in tempo, che si troverà in esse congregato maggior numero di Popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chiese, e Sacrestie di esse un'esemplare del medemo, per osservare quanto in esse s'ordina. Dal Palazzo del Sant'Offitio questo dì 10. Marzo 1677.

Loco ✠ sigilli.

Franciscus Riccardus S.Rom. & Univers. Inquisit. Notarius.

Sommario della Bolla nella Cena del Signore, che deve leggersi nella Quarta Domenica della Quaresima.

1. SI scommunicano gli Heretici di qualunque nome, e Setta, i loro fautori, recettatori, e quelli, che li credono, e che senza licenza della Santa Sede Apostolica scientemente leggono, ò tengono, ò stampano i libri loro, che contengono heresie, ò che trattano di Religione, ò in qualsivoglia modo, ò causa publicamente, ò vero oc-

occultamente li difendono; e li Scismatici, e quelli, che ostinatamente si partono dall'obedienza del Pontefice Romano.

2. Si scommunicano tutte le persone, e s'interdicono le Università, Collegii, e Capitoli, che appellano dalle Sentenze, Ordinationi, e Mandati del Papa al futuro Concilio, e quelli, che daranno loro consiglio, ajuto, e favore.

3. Si scommunicano li Corsari, e ladri di Mare, quali vanno scorrendo dal Monte Argentaro sino à Terracina, & i loro fautori, ricettatori, e difensori.

4. Quelli, che rapiscono i beni de' Christiani naviganti, ò nelle Navi, ò gettati in Mare, ò ritrovati nel lito; nè si possino scusare per qualsivoglia Privilegio, Consuetudine immemorabile, possesso, ò altro pretesto.

5. Quelli, che nelle loro Terre, fuori de' Casi à loro permessi dalla ragione, ò per special licenza della Sede Apostolica, impongono nuovi Pedagii, ò Gabelle, ò accrescono le già imposte, ò riscuotono quelle, che sono prohibite d'imporsi, ò aumentarsi.

6. I Falsarii delle lettere Apostoliche, ancorche fussero in forma di Brevi, ò suppliche concernenti gratia, ò giustitia, segnate per Sua Santità, ò per il Vicecancelliere della Santa Romana Chiesa, ò loro Vicegerenti, ò di mandato di Sua Santità, e quelli, c he sotto nome del medesimo Roma-

no

no Pontefice, ò de' loro Vicegerenti fabricheranno false lettere Apostoliche, ò falsamente segnaranno Suppliche come sopra.

7. Quelli, che a' Sarraceni, Turchi, & altri nemici del nome Christiano, overo Heretici per sentenza del Papa espressamente, e nominatamente dichiarati, conducono, ò mandano Cavalli, Armi, ferro, filo di ferro, stagno, rame, & ogn'altra sorte di metallo, ò istromenti da Guerra, & altre cose con le quali essi offendono i Christiani, e Cattolici; & in oltre quelli, che per sè stessi, ò per altri avvisano delle cose appartenenti allo stato della Republica Christiaua i medesimi Infedeli, & Heretici in danno della Religione Cattolica, e quelli, che in ciò danno in qualsivoglia modo ajuto, conseglio, ò favore.

8. Quelli, che assaltano le persone, che conducono vettovaglie, ò altre cose necessarie per uso della Corte Romana, overo impediscano, che dette cose non siano condotte ad essa Corte, overo per sè, ò per altri difendono quelli, che fanno simili cose.

9. Quelli, che per sè, ò per altri ammazzano, feriscono, spogliano, pigliano, ò ritengono coloro, che vanno alla Sede Apostolica, ò si partono da essa, e quelli, che non havendo giurisdittione ordinaria, ò delegata dal Papa, ò da' suoi Giudici, temerariamente usurpandosela, ardiscono di fare simili cose contra le persone, che dimorano nella medesima Corte Romana.

10. Quel-

10. Quelli, che nella persona, ò ne' beni offendono i Peregrini, & altri, che vanno à Roma per causa di devotione, ò peregrinaggio, & in essa dimorano, ò indi si partono, e quelli, che in ciò danno ajuto, conseglio, ò favore.

11. Quelli, che ammazzano, mutilano, percuotono, pigliano, ritengono, ò perseguitano inimichevolmente i Cardinali della Santa Romana Chiesa, i Patriarchi, Arcivescovi, Vescovi, Legati, Nuntii, della Sede Apostolica, e quelli, che scacciano i medesimi dalle loro Diocesi, Terre, e Dominii, ò danno mandato, consenso, consiglio, & ajuto à fare le predette cose.

12. Quelli, che per sè, ò per mezzo d'altri nella persona, ò ne i beni offendono le Persone Ecclesiastiche, ò Secolari, che per loro causa, ò negotii ricorrono alla Corte Romana, ò loro Avvocati, Procuratori, Auditori, e Giudici deputati per occasione delle sopradette cause, ò negotii, ò che nelle predette cose danno conseglio, ajuto, e favore.

13. Quelli tanto Ecclesiastici, quanto Secolari, i quali sotto pretesto d'alcune frivole Appellationi ricorrono alla Corte, e braccio Secolare, e col suo mezzo, direttamente, ò indirettamente, impediscono, ò procurano, che siano impedite le esecutioni delle lettere Apostoliche, citationi, sequestri, monitorii, processi, esecutoriali, ed ogni altro Decreto, & ordinatione, uscita, ò che pro tem-

pore uſcirà dalla Sede Apoſtolica, ò da altro Giudice, ò Delegato d'eſſa, ò che pigliano, ritengono, ò fanno ritenere le parti, e i loro Agenti, Parenti, Notari, Eſequutori, ò Subeſequutoti delle lettere, & ordinationi; ò prohibiſcono, che i Notari non ſi roghino di quelle, ò non diano gl'Atti fatti alla parte, che vi hà intereſſe, e quelli, che impediſcono le perſone, acciò non vadino à Roma per ſuoi negotii, ò per impetrar gratie, ò lettere della Sede Apoſtolica, ò prohibiſcono, che non ſi vagliano di quelle, che hanno impetrato.

14. Quelli, che avvocano à sè le cauſe beneficiali, di decime, & altre ſpirituali, & anneſſe alle ſpirituali, da i Giudici Eccleſiaſtici, ò che come Giudici s'intromettono nella cognitione d'eſſe, ò impediſcono il corſo di dette cauſe in qualſivoglia modo, ò à queſte coſe danno favore, conſeglio, o conſenſo.

15. Quelli, che ſotto preteſto dell'offitio, ò ad iſtanza delle Parti tirano, ò fanno tirare le Perſone, Capitoli, Conventi, e Collegii Eccleſiaſtici al ſuo Tribunale, Cancellarie, ò Parlamenti fuori della diſpoſitione de' Sacri Canoni, e quelli, che fanno, ò publicano Statuti, & Ordinationi di qualſivoglia ſorte, ò vero ſi ſervono delle già fatte, e publicate, con le quali ſi toglia, ò in qualſivoglia modo s'offenda, ò reſtringa la libertà Eccleſiaſtica, o con le quali ſi pregiudichi alle ragioni della Sede Apoſtolica, ò di qualſivoglia Chieſa.

16. Quel-

16. Quelli, che impediscono i Prelati, & altri Giudici Ecclesiastici, che non possino valersi della loro giurisdittione Ecclesiastica contro qualsivoglia persona, che per il sudetto rispetto direttamente, ò indirettamente molestano i loro Agenti, Procuratori, Domestici, e Parenti. E quelli, che dopò la Sentenza, e Decreti di detti Giudici in pregiuditio del foro Ecclesiastico fanno ricorso alle Cancellarie, e Tribunali secolari, e da essi ottengono Inhibitioni, ò Mandati penali contro li sudetti Giudici, e quelli, che à ciò danno ajuto, conseglio, ò favore.

17. Quelli che usurpano le giurisdittioni, frutti, e proventi spettanti alla Sede Apostolica, ò à Persone Ecclesiastiche per causa di Chiese, ò di Beneficii Ecclesiastici, overo, che per qualsivoglia occasione, ò causa sequestrano li predetti frutti, e proventi senza espressa licenza del Pontefice Romano, ò di quelli, che in ciò hanno legitima potestà.

18. Quelli, che senza licenza del Pontefice Romano impongono Collette, Decime, Taglie, Prestanze, & altri carichi alle Persone Ecclesiastiche, & à i beni loro, e di Chiesa, Monasterii, & altri Beneficii Ecclesiastici, & à i frutti, redditi, e proventi d'essi con diversi, & esquisiti modi li riscuotono, overo di tal maniera imposti li ricevono anche da quelli, che spontaneamente gli danno, & anco quelli, che direttamente, ò indirettamente ardiscono di far esequire, ò procurare le predette

cose, ò à ciò danno ajuto, ò favore.

19. Quelli, che in qualsivoglia modo s'intromettono in Cause Criminali contro Persone Ecclesiastiche processandole, bandendole, pigliandole, ò sententiandole, ò facendo esequutioni contra loro senza espressa licenza della Sede Apostolica, e quelli, che estendono tal licenza à persone, e casi non espressi in essa, ò che malamente se ne servono.

20. Quelli, che sotto qualsivoglia pretesto presumono assaltare, distruggere, occupare, ritenere qualsivoglia luogo, ò ragione pertinente alla Sede Apostolica, e soggetta immediatamente, ò mediatamente alla Romana Chiesa, overo presumono usurpare, perturbare, & in qualsivoglia modo travagliare la Suprema Giurisdittione in detti luoghi; E quelli, che à ciò danno ajuto, conseglio, e favore.

Dalle sopradette Scommuniche niuno può essere assoluto da altri, che dal Pontefice Romano, eccetto, che in articolo di morte, e se per avventura alcuno presumerà d' assolvere da tali scommuniche, incorrerà ipso facto nella Scommunica Papale, oltre che si procederà contro di lui con altre pene così temporali, come spirituali.

Dichiarasi finalmente, che niuna assolutione Papale, anche solenne, comprende i sudetti scommunicati, se prima non desisteranno dalle cose predette con vera intentione di non commetterle più per l'avvenire. E quanto à quelli, che hanno fatto, e pu-

e publicato, ò che faranno, ò publicaranno Statuti contro la libertà Ecclesiastica, se publicamente non gl'haveranno revocati, e cassati, e fatto certa Sua Santità della revocatione. E che i Privilegii, & Indulgenze Apostoliche non vagliano contro le cose sudette, e come più amplamente appare nell'istessa Bolla.

Sommario della Bolla di Sisto V. contro li contratti illeciti, che si leggerà nella Domenica in Albis.

PErche il contagioso morbo de' falsi, & ingiusti contratti, che si facevano in molte parti del Mondo, non si dilatasse maggiormente, & infettasse tutta la greggie, il Sommo Pontefice Sisto V. di gloriosa memoria dannò, e riprovò tutti, e ciaschedun contratto, conventione, e patto, dove, sotto nome di Compagnìa, si danno da alcuni denari, animali, ò qualsivoglia altra cosa, quale, ancorche per caso patisse danno, ò perisse affatto, vogliono ad ogni modo, che la sorte principale, ò'l capitale resti salvo, & intiero, e sia obligato il Compagno, che l'hà ricevvto, à restituirglielo, ò risponderli una certa somma, ò quantità di denari ogni mese, overo ogn'anno, finche dura detta Compagnìa : overo danno simili cose con patto d'havere ogn'anno un tanto per cento, senza haver ri-

riguardo all' emolumento, ò danno, che ricevesse in quell' anno il Compagno, e dichiarando Sua Santità simili contratti, conventioni, ò patti usurarii, & illeciti, ordina che da quì innanzi non si facciano simili compagnie; ma più tosto si facciano in questo modo.

Che uno vi metta i denari, ò animali, ò altra robba, senza riservarsi l'integrità del capitale, se per caso perisse, ma stia soggetto ad ogni caso fortuito; e l'altro la fatica, e l'industria, e poi tutti due mettano insieme la rendita, le spese, & i danni; e come il giusto, e l'honesto richiede, se le dividano, e partano egualmente. O pure si facciano altri contratti, conforme à i Sacri Canoni, che questo sarà lontano da ogni sospetto di fraude, & usura. Vero è, che se finita la Compagnia, il capitale fosse in essere, s'hà da restituire à chi lo diede; se però non sarà stato fatto commune tra i Compagni, ò trà di loro non si sarà fatto altro accordo; che in tal caso s'hà da stare à i patti fatti, se non saranno contrarii à i modi, che prescrivono i Sacri Canoni. E se succedesse, che per l'avvenire si facessero simili contratti, e patti usurarii, & illeciti, vvole, e statuisce Sua Santità, che oltre che non possano domandar cosa alcuna in giuditio, nè capitale, nè altro, incorrano anche nelle pene statuite da i Sacri Canoni, e Concilii Generali contro i manifesti usurarii; e come cõtro tali si possa procedere con opportuni rimedii, dando facoltà à tutti i Giudici di giudicarli,

e pu-

e punirli, conforme à quest' ordine, e levandola à tutti (ancorche siano Cardinali) di giudicarli altrimente, dichiarando irrito, e nullo ogn' altro giuditio.

E D I T T O

Per l'adempimento de' Legati, & altre sodisfattioni dovute à cause, luoghi, e Persone pie, che hà da leggersi li tre di Maggio nella Festa dell' Inventione della Santa Croce, e 'l primo di Novembre nella Festa di tutti i Santi.

GIUSEPPE SALUSTIO FADULFO per gratia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Vescovo, e Prencipe d'Ascoli.

GRande empietà si conosce manifestamente, che sia, il mancare all' adempimento delli Legati pii, & a' Suffragii di quelle povere Anime, che gli han fatti, e che forse frà tanto per tal mancanza ardono miseramente trà l'acerbe fiamme del Purgatorio, senza che punto sia considerato da' Scelerati Heredi, che le robbe lasciate da loro si stanno spensieratamente godendo. Noi però, che dal Sagrosanto Conseglio di Trento, e da' Sagri Canoni ha-

havemo l'incombenza d'entrar per Curatori de' poveri Defonti della Nostra Diocese, e di cercar, che si sodisfacciano l'ultime loro volontà, che all'opere di pietà riguardano, oltre quello, che havemo altre volte, & ultimamente nella prossima Nostra Sinodo, per tal fine così importante, e per ovviare à tanto disordine, constituito; Nuovamente con paterna carità ammoniamo tutti quelli, che son Debitori di sodisfare a' Legati pii di qualunque sorte, che ricordevoli della grave offesa fatta à Dio benedetto, che suole anche temporalmente punire la mancanza colpevole à queste sodisfattioni, con morti, esterminio delle famiglie, & altre gravissime afflittioni, si vogliano prontamente indurre à sodisfare alli sudetti legati con grandissima prestezza, e così ubidendo à Sua Divina Maestà, & à Noi, che molto vi premiamo, e suffragando li poveri lor Defonti, liberar sè stessi dalli pericoli de i mali vicini di questa vita, e de gli eterni doppo la morte, quando si manchi à quanto si deve. Noi rammentiamo in prima à ciascheduno, che à tali trasgressori dopo sei mesi dal tempo, in che dovevano adempir quei Legati, per Decreto della Nostra Sinodo, con una sola citatione, & istanza saranno dalla nostra Corte rilassate essecutioni reali, ò personali, come parerà espediente.

E che di più, acciò tali Legati non restino di adempirsi per l'ignoranza, che ne potessero havere gl'Heredi, s'è fatto stretto ordine à quei Notari, che in

in qualunque sorte di dispositione se ne son rogati, di rimetterli a' protocolli in termine prefisso, di darne nota al Nostro Tribunale, & a' Luoghi, Casa, e Persone pie, che vi sono interessate con assegnarli convenevol termine, e sotto gravi pene, ivi parimente espresse; e similmente se n'è dato ordine a' Parochi, & altri tali, che in mancanza di Notari notaranno tali pie lassite, con varie, & importanti cautele.

Li Confessori, tanto Secolari, quanto Regolari, avvertano di fare in questi casi compitamente il lor debito secondo la nostra espressa volontà.

E quelli, che son tenuti di far pagamenti, sodisfattioni, e restitutioni à Chiese, Confraternite, e Luoghi pii di qualunque sorte, adempiano puntualmente ancor'essi l'obligo loro, se non vogliono incorrere l'indignatione di Dio Onnipotente, e la Nostra.

Dato in Ascoli nel fine della Sinodo Diocesana li 14. Settembre 1688.



Sommario dell' Indulgenze conceſſe per lo dì del Corpo di Chriſto, e per l' Ottava, che deve leggerſi il terzo dì della Domenica della Santiſſima Trinità.

PRimieramente, chiunque il giorno della Feſta del Santiſſimo Corpo di Chriſto ſarà preſente in qualſivoglia Chieſa, mentre ſi recita, ò canta il Matutino di quel giorno, guadagna quattrocento giorni d'Indulgenza.

Alla Meſſa, che l'iſteſſo giorno ſi dice, ò ſi canta, altri quattrocento giorni d'Indulgenza.

Alli Veſpri della medeſima Feſta, quattrocento giorni per il primo, e quattrocento altri per il ſecondo.

Alle altre Hore Canoniche nell'iſteſſo giorno; cioè Prima, Terza, Seſta, Nona, e Compieta cento ſeſſanta giorni d'Indulgenza per ciaſcheduna.

Item chiunque, come di ſopra, ſarà preſente alli Matutini, per li giorni dell'Ottava di detta Feſta, guadagna ogni volta ducento giorni d'Indulgenza.

Alli Veſpri per la medeſima Ottava, ogni volta ducento giorni d'Indulgenza.

Alle Meſſe per la medeſima Ottava, ogni volta ducento giorni d'Indulgenza.

Alle altre Hore Canoniche in detta Ottava, ottanta giorni giorni d'Indulgenza per ciaſcheduna.

Item

Item ogn' uno, che il giorno di detta festa sarà presente, & accompagnerà la Processione col Santissimo Sacramento; guadagna ducento giorni d'indulgenza.

Item ogn'uno, che digiunerà il giorno prossimo precedente à detta festa del Santissimo Corpo di Christo, overo si eserciterà in altr' opera pia, secondo il consiglio del Confessore, guadagna ducento giorni d'indulgenza.

Item ogn'uno, che il giorno di detta festa, ò per la sua Ottava si communicherà, ò essendo Sacerdote dirà Messa, guadagna per ogni volta ducento giorni d'indulgenza.

Finalmente chiunque col lume acceso accompagnerà il Santissimo Sacramento, mentre si porta à gl'Infermi, acquista ducento giorni d'Indulgenza per ciascheduna volta; e chì in quel tempo l'anderà divotamente seguitando, ne acquista cento giorni per ciascheduna volta.

Si esortano perciò tutti i Fedeli Christiani à non trascurare l'acquisto di questi tesori spirituali, & à prepararsi à riceverli con la necessaria dispositione, per mezo de' Santi Sacramenti della Confessione, e Communione.



DECRETI

Del Conseglio di Trento intorno alle Decime, & al non usurpare le robbe della Chiesa con quella particella della Bolla in Cœna Domini *intorno all' istesso, che deve leggersi nelle terze Domeniche di Giugno, e di Settembre.*

NON denno esser tolerati coloro, che con varii artificii vanno machinando di sottrahere alle Chiese le Decime, che à quelle toccano, ò che temerariamente occupano quelle, che da altri denno pagarsi, e le voltano à util loro proprio; atteso che il pagamento delle Decime è dovvto alla Maestà del Signor'Iddio, e coloro, che, ò ricusano essi di pagarle, ò impediscono altri, che non le paghi, mettono le mani in cosa, che ad essi non tocca. Cõmanda per tanto la Sacrosanta Sinodo à tutti di qualsivoglia grado, ò conditione, à quali spetti di pagar le Decime sudette, che per l'avvenire le paghino intieramente, per quanto la ragione gli obblighi, ò alla Cathedrale, ò à qualunqae altra Chiesa, ò ad altra persona, à cui legitimamente ne siano debitori, e quelli, che, ò ne ricusano, ò ne impediscono il pagamento, siano scommunicati, e non assoluti, se prima non hauranno fatta l'intiera restitutione. Essorta in oltre tutti il medesimo Santo

Con-

Conſeglio, che à laude del Signore, & à fine di mantenere con dignità lo ſtato di quelli, che continuamente ſi affaticano per paſcere l'anime de gli altri con cibi ſpirituali, vogliano per carità, e per debito, che ne tengono, non haver per grave peſo l'ajutare con larghe ſovventioni di que' beni, che loro Iddio hà donato, quei Veſcovi, e Curati, c'hanno in governo Chieſe povere, e di debole entrata.

Decreto del Sacro Concilio di Trento contrò quelli, che uſurpano beni, ragioni, e frutti pertinenti à Chieſe, ò à luoghi pii.

SE alcuna perſona Eccleſiaſtica, ò ſecolare, di qualſiſia Dignità, ancorche Imperiale, ò Regale, ſarà talmente preſa dall'avaritia, radice d'ogni male, che da sè, ò per mezo d'altri, à forza, ò con metter timore, ò anche per interpoſta perſona de Chierici, ò Laici, ò con qualunque altra arte, ò qualſivoglia queſito colore, oſerà di convertire à uſo proprio le giuriſditioni, beni, cenſi, e ragioni, anche feudali, & enfiteotiche, e li frutti, & emolumenti d'alcuna Chieſa, ò di qualſiſia Beneficio ſecolare, ò Regolare, ò de' Monti di Pietà, e d'altri luoghi pii, overo qualunque provento, che debba impiegarſi ne' biſogni de' Miniſtri, e de' Poveri, ò pure anche d'impedire, che le dette coſe non

per-

pervengano à coloro, à cui ſpettano di ragione, ſia, e duri ſcommunicata di ſcommunica maggiore, finche reſtituiſca intieramente alle Chieſe, ò loro Amminiſtratori, e Beneficiati, quelle giuriſditioni, beni, coſe, ragioni, frutti, & entrate c'haurà loro occupato, ò che ſaranno in qualſivoglia modo pervenute in poter ſuo, anche mediante donatione di ſuppoſita perſona; E finche ottenga di ciò l'aſſolutione dal Sommo Pontefice. E ſe ſarà Patrone di quella medeſima Chieſa, ò Beneficio, oltra le pene ſudette, ſia anco privo ipſo facto del Juſpatronato.

Ma quel Chierico, che ſarà ſtato inventore di tal brutta fraude, & uſurpatione, ò à quella haverà preſtato conſenſo, ſoggiaccia alle medeſime pene, e ſia privo di qualunque ſuo Beneficio, e rimanga inhabile a riceverne alcun' altro; E di più reſti ſoſpeſo dall'eſſecutione de'ſuoi Ordini ad arbitrio dell' Ordinario ſuo, anche dopò che haverà intieramente ſodisfatto, e ſarà ſtato aſſoluto, come di ſopra.

Parte della Bolla in Cena Domini contro gli uſurpatori di coſe di Chieſa. E' la Santità di Noſtro Signore, che parla.

SCommunichiamo ancora, & anatematiziamo coloro, che uſurpano, ò con qualſivoglia occaſione, ò cauſa, ſenza licenza del Sommo Pontefice, ò di quelli, a' quali ciò di ragione appartiene, ſe-

sequestrano le giurisdittioni, overo li frutti, rendite, e proventi pertinenti à Noi, & alla Sede Apostolica, ò à qualsivoglia persona Ecclesiastica, per ragione di Chiese, Monasteri, e d'altri Beneficii Ecclesiastici &c.

Sommario della Bolla di Gregorio XV. contro li Confessori sollecitanti, che hà da leggersi nella quarta Domenica di Settembre.

LA Santità di Gregorio XV. per sua Constitutione sotto li 30. d'Agosto 1622. commanda, che tutti Sacerdoti, tanto Secolari, quanto Regolari, e di qualsivoglia dignità, li quali nell' atto della Confessione Sacramentale, overo innanzi, ò dopo immediatamente, overo per occasione, ò pretesto di Confessione, ancorche la Confessione non seguisse, overo fuori dell'occasione di essa, nel Confessionario, ò in qualunque luogo, nel quale si odono le Confessioni Sacramentali, overo in luogo eletto ad udire le Confessioni, simulando detti Sacerdoti in quei luoghi d'udir le Confessioni, sollecitaranno, ò tenteranno di sollecitare, ò provocare li Penitenti à peccati carnali, overo con quelli haveranno colloquii, e trattati illeciti, & inhonesti, debbano esser puniti dal Sant'Offitio, come Heretici, ò sospetti d'heresia; e secondo la qualità de' delitti, e circostanze, possano esser sospesi dall' Ordine,

ne, e privati de' benefitii, dignità, e di qualſivoglia officio, e reſi perpetuamente inhabili ad altri, e condannati anco in eſilio, alla galera, & à perpetuo carcere, ſenza ſperanza alcuna di gratia; e quando l'enormità del delitto meritaſſe maggior pena, ſi debbano degradare, e dare in mano alla Corte Secolare: & accioche per difetto di prova un delitto tanto enorme, e perniciofo non rimanga impunito, rimette all'arbitrio de' Signori Cardinali del Sant'Offitio, che poſſino giudicare il delitto provato per teſtimonii ſingolari, preſuntioni, & inditii.

E di più commanda à tutti i Confeſſori, li quali ſapranno, che i loro penitenti ſiano ſtati da altri ſollecitati, che debbano avvertire detti penitenti ſollecitati, che ſono obligati à denuntiare li Confeſſori ſollecitanti, overo, che habbiano trattato di ſollecitare, al Sant'Offitio, overo à i Veſcovi, & Ordinarii de' luoghi: e caſo che detti Confeſſori tralaſciaſſero d'avvertire, overo inſegnaſſero a' penitenti, che non foſſero obligati à denuntiare i Confeſſori ſollecitanti, overo trattanti di ſollecitare, come di ſopra, gl'Ordinarii, ò gl' Inquiſitori li devono caſtigare.



JO-

JOSEPH SALUSTIUS FADULFUS,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus, & Princeps Asculanus.



UM providè per Nostrum Prædecessorem in Appendice ad suam Diœcesanam Synodum multa congesta fuerint, quæ veluti quosdam Thesauros custodire inter Episcopatus Nostri tabularia oportet, ne pariter in hoc Nostro Volumine illorum notitia desideretur, Nos quoque in Ecclesiarum commodum, & Rectorum utilitatem de jis omnibus memoriam prosequimur, & monumenta indicamus.

Bulla Gregoriana jurisdictionis concessæ Ecclesiæ, & Episcopis Asculanis pro tempore in compensationem alterius alias ablatæ, quæ habetur in Cancellaria Asculana, in Archivio Episcopali in Regesto Bullarum, fol. 226. tempore Cardinalis Bernerii incipit *Gregorius XIII. Pont. Max. Ad perpetuam rei memoriam. Æquum reputamus, & congruum &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno 1572. octavo Kal. Junii Pont. Anno Primo.*

Copia transactionis initæ inter Eminentiss. Cardinales, Abbates, Commendatarios Farfenses, & Eminentiss. Cardinalem Julium Gabriellium Epi-

 sco-

ſcopum Aſculanum, prout in Synodo Reverendiſſ. Montis. pag. 287. & ſub jiſdem terminis renovata inter Eminentiſs. Card. Carolum Barberinum, & Reverendiſs. præſentem Epiſcopum Aſculanum.

Inſtrumentum tranſactionis, & concordiæ initæ inter Epiſcopum Aſculanum, & Civitatem Aſculanam, & pro ea Deputatos à Concilio Generali Centum, & Pacis, Aſſiſtente Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domino Joanne Baptiſta Spinula Gubernatore ſub die 20. Maii 1676. ſub Rogitu Caroli Spalatrini Notarii inſolidum rogati cum Joſepho Auguſtino Notario pro Epiſcopali Cancellario, cum approbatione dicti Inſtrumenti concordiæ, & Capitulorum inſertorum ſuper explanatione Rubrorum tercentum frumenti Menſæ Epiſcopalis ſingulis annis per Piſtores Civitatis, cum approbatione Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Jacobi Zandemariæ Gubernatoris Aſculi die 5. Martii 1677. de ordine, & cum facultatibus Sacræ Congregationis Boni Regiminis, ut per epiſtolam Eminentiſs. Cardinalis Cybi Præfecti tenoris ſequentis, ut in pag. 298. quæ omnia regiſtrata apparent, tàm in Cancellaria Antianali Illuſtriſſimæ Civitatis, ubi etiam prædicta Capitula inſerta in præfato Inſtrumento, addita ſunt cæteris Capitulis Appaltus furnorum, cum quibus Piſtores debent obligari ad explanationem Panis venalis.

Per extenſum dictum Inſtrumentum, Capitula, & Approbatio habentur in Appendice ad Synodum

Re-

Reverendiſs. Montis Prædeceſſoris à pag. 290. uſque 298.

Epiſtola Cardinalis Bandini Legati à Latere in Piceno ſuper ſolutione, ad quam tenetur Clerus Aſculanus pro libra bonorum Patrimonialium, ubi à quo onere ſit immunis Perſona Eccleſiaſtica pro ſe, & famulo, data Maceratæ ſub die 25. Aprilis 1600. relat. in Appendice Reverendiſs. Montis pag. 299.

Concordia inter Eccleſiaſticos, & Laycos Aſculanos ſuper exemptione Eccleſiaſticorum à ſolutione Vectigalis impoſiti per Communitatem ſuper Macinatu ſtipulat ſub die 19. Julii 1600. rogat. per Lelium Virgultum publ. Not. & Cancellarium Epiſcopalem relat. in eadem Appendice Synodi ejuſdem Prædeceſſoris pag. 300. uſque 302.

Deciſio, & taxa onerum Cameralium ab Eccleſiaſticis ſervanda ex ſententia Eminentiſſ. Cardinalis Gabriellii Epiſcopi Aſculani, à Sac. Congr. Boni Regiminis deputati lata fuit ultima die Menſis Junii 1643. relat. in eadem Appendice pag. 304. uſque 307. & extracta à proceſſu originali aſſervato in Cancellaria Epiſcopali Aſculana.

Tranſactio, & Concordia Apoſtolica authoritate firmata inter Epiſcopos Aſculanos, & Vaſſallos Ancaranenſes in eadem Appendice pag. 308. uſque 332. extracta ex regeſtu Cancellariæ Epiſcopalis.


Interrogatoria facienda teſtibus examinandis ſuper bonis in Patrimonium aſſignandum Clericis,

qui ad illorum titulum promoveri debent pro necessitate, aut Ecclesiæ utilitate, serventur formata à Reverendissimo Prædecessore Monte, ut in Appendice ad ejus Synodum exarata, & in Cancellaria impressa, & affixa retineri debent.

Instructio pro examine illorum testium, qui pro libertate probanda matrimonia contrahere volentium examinandi sunt, servetur ea, quæ à Sac. Cong. S. Inquisitionis de Urbe emanavit, & in Cancellaria impressa retinenda est.

Taxa Fori Ecclesiastici Asculani ab Eminentissimo Cardinali Gabriellio constituta, & reformata sub anno 1649. servetur tàm in Civilibus, quàm in Criminalibus, & in Beneficialibus, prout est descripta in dicta Appendice Prædecessoris Nostri.

INSTRUTTIONE PER LA DOTTRINA CHRISTIANA.



D. CHì v'hà creato, e messo al mondo?

℞. E' stato Iddio.

D. Chi è Iddio?

℞. E' il Creatore, e Signore del Cielo, e della terra.

D. Per qual fine v'hà creato?

℞. Per conoscerlo, amarlo, e servirlo in questa vita, e goderlo nella Celeste Patria.

D. Dov'è Dio?

℞. E' in Cielo, in terra, & in ogni luogo.

D. Quanti Dei sono?

℞. E' un solo Iddio, ma tre Persone distinte, Padre Figliuolo, e Spirito santo, dette la Santissima Trinità.

D. Queste tre Persone sono tre Dei?

℞. Nò; ma un solo; imperciòche non hanno, che una medesima Natura, e Sostanza.

D. Chì è il maggiore, il più vecchio, & il più potente?

℞. So-

℞. Sono le tre Perſone uguali in tutte le perfettioni.

D. Quale delle tre Perſone s'è fatto huomo?

℞. La ſeconda, cioè il Figliuolo.

D. Che coſa hà fatto per farſi huomo?

℞. Hà preſo un corpo, & un'anima, come habbiamo noi, nelle viſcere di Maria Vergine, per opera dello Spirito ſanto.

D. Come ſi chiama il Figliuolo di Dio fatto huomo?

℞. Gieſù Chriſto Redentor noſtro vero Dio fatto huomo.

D. Perche ſi è fatto huomo?

℞. Per liberarci con la ſua morte dalla perditione, e meritarci la vita eterna.

D. Dov'è Gieſù Chriſto?

℞. In quanto Iddio è in ogni luogo: in quanto huomo è in Cielo; e nel Santiſſimo Sacramento.

D. Che coſa v'è nel Santiſſimo Sacramento?

℞. Vi è il Corpo, il Sangue, l'Anima, e la Divinità di Gieſù Chriſto ſotto le ſpecie di pane, e di vino.

D. Che coſa s'intende per le ſpecie del pane?

℞. Quello, che ſi vede, e ſi ſente, cioè il colore, il ſapore, e la qualità.

D. Non v'è ancora con le ſpecie la ſoſtanza del pane nell'Oſtia?

℞. Nò,

℞. Nò, perche è tutta mutata, e transostantiata nel Corpo, e Sangue di Giesù Christo, per virtù delle parole della consacratione.

D. Quando si rompe l'Ostia, si rompe anco il Corpo di Christo?

℞. Nò, ma solo si rompono le specie, ò accidenti del pane.

D. Se non si rompe il Corpo, in che parte d' Ostia resta?

℞. Resta intiero in qualsivoglia parte d'essa.

D. Qual dispositione deve tenersi per communicarsi degnamente?

℞. Deve l'anima esser purgata dal peccato mortale.

D. Con che cosa si purga l'anima dal peccato?

℞. Con una buona Confessione.

D. Che cosa deve farsi per fare una buona Confessione?

℞. Primo, bisogna esaminare la coscienza. Secondo, haver gran dolore d'havere offeso Dio. Terzo, far proponimento di non offenderlo mai più per l'avvenire. Quarto, dichiarare tutti i suoi peccati al Confessore. Quinto, far la penitenza ingionta.

D. Che cosa è obligato à credere il Christiano?

℞. Tutto quello, che crede la Santa Madre Chiesa Cattolica Apostolica Romana.

D. Che cosa è obligato à sapere?

Quel-

℟. Quello, che si contiene nel Credo, ne' Commandamenti di Dio, e della Santa Chiesa; & il Pater noster, e l'Ave Maria.

D. Dite dunque il Pater noster, e l'Ave Maria, & il Credo.

℟. Padre nostro, che sei ne' Cieli,

1. Sia Santificato il Nome tuo.
2. Venga il Regno tuo.
3. Sia fatta la volontà tua, come in Cielo, così in terra.
4. Dacci hoggi il nostro pane quotidiano.
5. E rimetti à noi li nostri debiti, sicome noi li rimettiamo alli nostri debitori.
6. E non c'indurre in tentatione.
7. Ma liberaci dal male. Amen.

Iddio ti salvi Maria piena di gratia.

Il Signore è teco, tu sei benedetta frà le donne.

E benedetto il frutto del tuo ventre Giesù.

Santa Maria Madre di Dio prega per noi peccatori, adesso, e nell' hora della morte nostra. Amen.

1. Io credo in Dio Padre onnipotente, Creatore del Cielo, e della terra.
2. Et in Giesù Christo suo Figliuolo unico Signor nostro.
3. Il quale fù concepito di Spirito santo, nacque di Maria Vergine.

Patì

4. Patì sotto Pontio Pilato, fù crocifisso, morto, e sepellito.
5. Discese all'inferno, il terzo dì risuscitò da morte.
6. Salì al Cielo, siede alla destra di Dio Padre onnipotente.
7. Di là hà da venire à giudicare i viui, & i morti.
8. Credo nello Spirito santo.
9. La Santa Chiesa Cattolica, la communione de' Santi.
10. La remissione de' peccati.
11. La resurrettione della carne.
12. La vita eterna. Amen.

D: Che cosa è obligato à fare il Christiano?

℟. Osservare i Commandamenti di Dio, e della Santa Chiesa.

D. Quanti sono i Comandamenti?

℟. Sono dieci.

Il primo. Io sono il Signore Iddio tuo, non haverai altro Dio oltre di me.
2. Non pigliare il nome di Dio in vano.
3. Ricordati di santificar le Feste.
4. Honora il Padre, e la Madre.
5. Non ammazzare.
6. Non fornicare.
7. Non rubbare.
8, Non dir falso testimonio.

9. Non desiderare la donna d'altri.

10. Non desiderare la robba d'altri.

D. Quanti, e quali sono i comandamenti della Chiesa?

℟. Sono sei.

Il Primo, Udir la Messa intiera le Domeniche, e Feste comandate.

2. Digiunare la Quaresima, & altri giorni comandati, & astenersi dalla carne nel Venerdì, e nel Sabbato.

3. Confessarsi almeno una volta l'anno.

3. Communicarsi almeno la Pasqua.

5. Pagar le Decime.

6. Non celebrar le nozze nelli tempi proibiti, cioè dalla prima Domenica dell' Avvento fino all' Epifania; e dal primo giorno di Quaresima fino all'Ottava di Pasqua.

D. Quanti sono li Sacramenti, e quali effetti producono?

℟. Sono sette.

Il Primo Battesimo, che ci fà Christiani.

2. La Cresima dà gratia per diventare perfetti Christiani.

3. L'Eucharistia nutrisce l'anima, e la conserva nella gratia.

4. La Penitenza scancella li peccati.

5. L'Oglio santo dà ajuto per ben morire, e spesso dà la sanità corporale.

L'Or-

6. L'Ordine dà potestà per esercitare le funtioni sacre.

7. Il Matrimonio dà gratia per allevare Christianamente li figlioli.

D. Quante sono le Virtù principali?

℞. Sono sette; tre Theologali, e quattro Cardinali.

D. Quali sono le Teologali?

1. La Fede, la quale fà, che noi crediamo tutto quello; che Iddio hà rivelato alla Santa Chiesa.

2. La Speranza, la quale fà che noi mettiamo la nostra fiducia in Dio, che in lui speriamo la vita eterna, mediante la gratia del medesimo Dio, e de' nostri meriti, i quali pur nascono dalla gratia sua.

3. La Carità, la quale fà, che amiamo Dio sopra ogni cosa, & il prossimo, come noi medesimi per amor di Dio.

D. Quali sono le Cardinali?

℞. Primo. La Prudenza, la quale ci fà considerati, e cauti in ogni cosa, acciòche non siamo ingannati, e non inganniamo gli altri.

2. La Giustitia, la quale fà, che rendiamo ad altri quello, che è suo.

3. La Temperanza, la quale fà, che mettiamo freno alli desiderii disordinati;

4. La Fortezza, la quale fà, che non temiamo alcun pericolo, nè pur l'istessa morte in servitio di Dio.

D. Quanti sono li Doni dello Spirito santo?

℟. Sono sette.

1. Sapienza.
2. Intelletto.
3. Conseglio.
4. Fortezza.
5. Scienza.
6. Pietà.
7. Timor di Dio.

D. Quante sono l'opere della Misericordia, delle quali ci sarà domandato conto, in particolare nel giorno del Giuditio?

℟. Sono sette.

1. Dar da mangiare à gl'affamati.
2. Dar da bere à gl'assetati.
3. Vestire gl'ignudi.
4. Alloggiare li Pellegrini.
5. Visitare gl'infermi.
6. Visitare li Carcerati.
7. Sepelire li Morti.

D. Queste sono opere di Misericordia corporali, sonovi altre di Misericordia spirituali?

℟. Ve ne sono altre sette, cioè.

1. Consigliare li dubbiosi.
2. Insegnare gl'ignoranti.

Am-

3. Ammonire li peccatori.
4. Consolare gl'afflitti.
5. Perdonare l'offese.
6. Sopportare patientemente le persone moleste
7. Pregare Dio per li vivi, e per li morti.

D. Quanti, e quali sono li vitii capitali, dalli quali come da fonte derivano tutti li peccati?

℞. Sono sette, & à tutti sono opposte virtù contrarie.

1. Superbia, alla quale è contraria l'humiltà.
2. Avaritia, alla quale è contraria la liberalità.
3. Lussuria, alla quale è opposta la continenza.
4. Ira, alla quale è opposta la patienza.
5. Gola, alla quale è opposta l'astinenza.
6. Invidia, alla quale è opposto l'amor fraterno.
7. Accidia, alla quale è opposta la diligenza.

D. Quanti sono i peccati contro lo Spirito santo?

℞. Sono sei.

1. Disperatione della salute.
2. Presuntione di salvarsi senza merito.
3. Impugnare la verità conosciuta.
4. Invidia delle gratie altrui.
5. Ostinatione nelli peccati.
6. Impenitenza finale.

D. Quanti sono li peccati, che gridano vendetta nel cospetto di Dio?

℞. Sono quattro.

Ho-

1. Homicidio volontario.
2. Peccato carnale contro natura.
3. Oppressione de' poveri.
4. Defraudare la mercede à gl'operarii.

D. Quante sono le cose ultime dell'huomo, le quali la Scrittura le chiama novissime, che considerandole bene, ci fanno astenere dalli peccati?

℞. Sono quattro.
1. La Morte.
2. Il Giuditio.
3. L'Inferno.
4. Il Paradiso.

IL FINE.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 19. præsentet. præsente. 28. capilorum. capillorum. 32. in Ecclesiæ. ex Ecclesiæ. 59. Gonfessarius. Confessarius. 61. penitenria. pœnitentia. 67. designabatur. designabantur. ibidem. in Sacerdotis. in Sacerdotes. 84. ptrscrutatione. perscrutatione. 91. & raptus. & raptas 94. cęusentar. causetur. 97. expectimus. expetamus. 100. ascittitias. ascititia. 103. audiatur. audiantur. 107. interpellatione. interpolatione. 109. elegatur. legatur. 113. admonere. admoneri. 114. quãquam. quamque. 120. stabilsa. stabilia. 153. calium. talium. 154. beneficia. ad beneficia. 186. ex Deo. & Deo. 208. nec ij, quis. nec ij, qui. 232. anim iesistat. animi existat. 238. voluntas. voluntate. 247. folet. solet. 257. reg,mine. regimine. 262. admittantur. admittatur 263. priuilgij. priuilegij.





EPISCOPORUM
ASCULANORUM
Catalogus.



ANCTUS EMYGDIUS Treveris in Gallia Belgica natus, Romam Christianę Fidei Sectator profectus à Sancto Marcello Primo Summo Pontifice Episcopus creatus, ut Christo animas lucrifaceret, Asculum Picenum mittitur, ubi Catholica Fide fundata, innumerabilium conversione, & Polisia Præfecti illius Urbis filia baptismate lustrata, prodigiis, & miraculis innumeris patratis, Nonas Augusti circa annum CCCIX. Martyrii palmam est consecutus, Sociosque habuit passionis Sanctum Benedictum, Sanctum Valentinum Levitam, atque SS. Eupulum, & Germanum.

Antonellus in hist. Ascul. ad Cat. Episc. pag. 225.

§ Clau-

Baron. Anno 359. Claudius Provinciæ Picenæ Episcopus, Concilio Ariminensi Catholico interfuit à Secretis.

Baron. Anno 451. & 553. Lucentius Asculanorum Antistes in Calcedon. Concilio Magni Leonis Pontificis Legatus, Eutichem, Nestorium, & Dioscorum damnavit.

Labe Concil. tom. 2. Quintianus Magni nominis Episcopus Asculalanus, sub Felice III. Pontif. Maximo adversus Petrum Gnassæum in Antiochensem Cathedram obtrusum egregiè scripsit.

Conc. Constantinopolit. sub Mēna ex Synod. art. 1. to. 2. Concil. Baron. an. 535. & seq. Epiphanius Asculanus Episcopus, Sancti Agapiti Primi Papæ Legatione clarus ad res Ecclesiasticas penè collapsas in Oriente instaurandas missus.

Felix Episcopus Asculanus Anno 780.

Tostulphus Episcopus Asculanus sub Leone III. floruit circa annum Christi 800. Clarus Donatione à Ludigaro Asculanæ Urbis Comite ad illius Ecclesiæ favorem facta, à Carolo Magno confirmata, & à Pipino Caroli filio, necnon Vuinigiso Spoletano Duce, à Rodelando, & Astulpho subscripta: servatur in Archivio Cathedralis Basilicæ prætiosum monumentum.

Anastas. Biblioth. in Vita Sergij II. Ricco, seù Ruo, aut Picus interfuit coronationi Ludovici filii Lotharii in Basilica Vaticana Anno 844.

Baron. to. 10. Vvenderondus subscripsit Anathemati in Anastasium Cardinalem.

Arpaldus duræ cervicis à Joanne VIII. minaciter objurgatus, ut ex ejus Epistola circa annum 874.

Joan-

Joannes interfuit donationi à Theodorico Episcopo Firmano factæ Monasterio Sanctæ Crucis Anno 887.

Clielphus, ut ex inscriptione in Basilicæ Sacrario.

Filerus Anno 925. ut ex Instrumento donationis sibi factæ ab Iselberto. *In Instrum. Arch. Cath.*

Elperinus, cui Ormundus Sigulfi filius multa donavit, & confirmarunt Conradus II. & Henricus III. Imperatores.

Adam Episcopus Asculanus, & Abbas Farfensis Anno 983. *Ex Cod. Vatic. n. 6216.*

Fummo Anno Domini M.

Emmo cui Lupus Raibaldi cessit Castrum Mozzani, & Elperinus Edmundi filius Castrum Murri Anno MVIII.

Bernardus sub Benedicto IX. Pont. Max. consecratus, habuit confirmationem Privilegiorum Ecclesiæ Asculanæ à Conrado Imperatore Anno Domini MXXXVII.

Bernardus II. ex donatione facta Abbatissæ Monasterii Sancti Angeli Ordinis S. Benedicti.

Stephanus Anno MLXIX. cui donata fuit medietas Castri Civitellæ à Sciolso Transimundi.

Albericus ab Anno MXCVIII. ad annum 1125.

Presbyter creatur Episcopus Anno 1131., cui Lotharius Imperator privilegia confirmavit, & Conradus inter Principes annumearavit cum con- *Ex Archivio Cath.*

firmatione cæterorum privilegiorum Ecclesiæ Asculanæ Anno 1150.

Transimundus Anno 1177. sub Alexandro Papa III.

Gisonus nominatus in diplomate, Cælestini III. favore Rectoris S. Nicolai in Ponticello Anno 1191.

In Archivio Cath. et relata in Histor. Asculana.

Raynaldus, in cujus gratiam plura privilegia Pontificia, & Imperatorum Friderici Ænobarbi, Henrici, & Friderici filii.

Raynaldus Secundus Anno MCCVIII.

Ex Archivio Cath.

Petrus, quem Otho Quartus Imp. cum privilegiorum confirmatione de Regalibus, & Jurisdictione in Civitate, & Comitatu investivit.

Altegrunus Anno 1234.

Nicolaus cõsecratus ab Honorio III. Anno 1224.

Petrus Secundus Narbonensis Anno 1228.

Marcellinus Anconitanus, quem Gregorius IX. investivit de Civitate, & Comitatu Asculano in gratiam Ecclesiæ Asculanæ, quæ in Pontificio diplomate *Sedis Apostolicæ filia specialis* nuncupatur fuit Apostolicus Legatus in Insubria, inde ad Aretinam Ecclesiam translatus.

Mathæus ex Archipresbytero Cathedralis Ecclesiæ Episcopus constitutus, eo sedente à Friderico II. Imperatore captum Asculum, & plura Oppida direpta.

Theodorinus ex Canonico Episcopus Anno 1239.

Theodorus Anno 1246.

Ray-

Raynaldus III. ex Abbate Sanctæ Mariæ de Monte Sancto Episcopus Anno 1249. fuit Ecclesiasticæ libertatis Vindex acerrimus in Manfredum Principem Tarentinum.

Bonus Joannes ex Canonico Episcopus Annò 1275. magnæ virtutis vir, nobile pallium, argenteam tabulam pro Altari, Deiparæ Virginis Imaginem per Divum Lucam depictam, à Nicolao IV. Asculano Summo Pontifice dono recepit pro Ecclesia Cathedrali.

Boninsegna Perusinus Anno MCCCX.

Raynaldus quartus Asculanus ex Canonico Episcopus à Joanne Papa XXII. confirmatus Anno 1326.

Isaacus ex familia Bindia Asculanus ex Abbate Monasterii de Candiano Episcopus à Clemente Papa VI electus anno 1343.

Paulus de Bazano Aquilanus ad Asculanum Episcopatum translatus anno 1353.

Henricus de Sessa anno 1358.

Frater Vitalis Bononiensis Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Vir doctissimus anno 1366. ad Theatinam Ecclesiam indè translatus.

Agapitus Columna Romanus Episcopus Asculanus anno 1367. ad Brixiensem Ecclesiam translatus, & S.R.E. Cardinalis.

Joannes Acquaviva Neapolitanus anno 1399. Ecclesiam Sancti Francisci Civitatis Asculi consecravit.

Anthæus Episcopus anno 1375.

Petrus Torrisellus Gregorii Papæ XI. Cappellanus.& Causarum Palatii Apostolici Auditor.

Antonius Archconius Romanus ab Innocentio VIII. Cardinalis creatus tit. Sancti Petri ad Vincula.

Thomas de Perleonibus Romanus Cameræ Apostolicæ Clericus à Bonifacio IX. Episcopus Asculanus Electus.

Petrus IV. Episcopus Asculanus anno Domini 1398.

Marcus Leonardus de Fiscis Sulmonensis.

Joannes Firmanus Nobilis Firmanus.

Nardinus Asculanus anno MCCCCII.

Petrus V. Asculanus.

Petrus VI.Anconitanus ex Comitibus Castri Ferretti anno 1419.

Antonius Astorgius Neapolitanus.

Paulus Florentinus ex Nobili Albertorum familia.

Petrus VIII. à Cutignola Magni Sfortiæ filius Ordinis Minorum ab Eugenio IV. Summo Pontif. electus Episcopus Asculanus.

Valentinus Interamnensis anteà Episcopus Hortæ, & Civitatis Castellanæ in Asculanam Cathedram translatus.

Angelus Capranica Romanus ab Ecclesia Sipontina in Asculanam translatus sub Nicolao V. Summo Pont. indè in Reatinam à Pio Papa II.& Sanctæ

Ro-

Romanæ Ecclesiæ Cardinalis tit. Sanctæ Crucis Frater Germanus Dominici Cardinalis Capranicæ.

Joannes Franciscus Monaldensium de Cervaria Urbevetanus, ab Aprutina in Asculanam Ecclesiam translatus à Nicolao V.

Petrus à Valle Romanus Episcopus Asculanus, creatus anno 1462.

Prosper Caffarellus Romanus in Episcopum Asculanum electus anno 1470. Ecclesiam Cathedralem, Ædes Episcopales auxit, & ornavit, & in Pannonia Apostolicus Nuncius. Corpus S. Benedicti Martyris Socii S. Emygdii ab Ecclesia Veteri S. Petri in Castello in novam solemniter transtulit. Romæ obiit anno MD.

Julianus Cæsarinus Romanus ab Alexandro VI. Diaconus Cardinalis, & Episcopus Asculanus creatus Anno MD. obiit Romæ MDX.

Laurentius Fliscus Januensis ex Lavaniæ Comitibus ab Ecclesia Brugnensi in Asculanam translatus Anno MDX. inde in Montem Regalen, postremo Bononiensem translatus.

Hieronymus Ghimnutius Senensis à Iulio Papa II. Asculanus Episcopus Anno 1512. & à Paulo III. S.R.E.Card.S.Balbinæ.

Iulius Cardinalis Medices Anno MDXVIII. Asculanus Episcopus declaratus, inde in Tolonensem in Gallia translatus, hic fuit Clemens VII. Pontifex Maximus.

Phi-

Philos Roverella Ferrarienſis Leonis X. Summi Pont. Intimus familiaris ex Epiſcopatu Tolonenſi, quem Iulio Card. Mediceo Sobrino ſuo reliquit in Aſculanam Eccleſiam translatus, Concilio Tridentino uſque ad ſeptimam ſeſſionem interfuit.

Lactantius Roverella ſuperioris Nepos coadiutor, & ſucceſſor, Tridentino Concilio uſque ad finem interfuit.

Petrus IX. e Camajana familia Aretinus ab Eccleſia Feſulana à B. Pio V. Summo Pont. in Aſculanam translatus 7. Octobris anni 1576. & ad Philippum Regem Hiſpaniarum Apoſtolicus Nuncius, & in ditione Eccleſiaſtica Apoſtolicus Viſitator: obiit Aſculi 27. Julii 1579.

Fr. Hieronymus Bernerius Corrigienſis Ord. Prædicatorum Inſignis Theologus à Sixto V. Summo Pont. Aſculanus Epiſcopus creatus die 22. Auguſti anni 1586. die verò 18. Decembris ejuſdem S.R.E. Cardinalis creatus, fulſitque Albano, Præneſtino, Portuenſique Epiſcopatu, ſemper tamen Aſculanam Eccleſiam, ut ſponſam coluit, collatis in eam maximis beneficiis, Canonicis inſigniori habitu decoratis, manſionariis erectis.

Sigiſmundus Donatus Corrigienſis Bernerii Cardinalis primo Vicarius, inde Archidiaconus, & Epiſcopus Venuſinus, inde Aſculanus ob reſignationem à Bernerio factam anno 1605. fuit Eccleſiaſticæ libertatis acerrimus Propugnator, & à Paulo Papa V. ad Rempublicam Venetam Nuncius miſ-

ſus

ſus, obiit Aſculi octuagenario maior anno MDC XXXVIII.

Julius Cardinalis Gabriellius Romanus ex Decano Clericorum Cameræ Apoſtolicæ Sacra Purpura Donatus die 16. Decembris MDCXXXXI. die verò 11. Februarii ſequentis Epiſcopus Aſculanus creatus ab Vrbano VIII. eamque Eccleſiam per XXVII. annos religiosè gubernavit, inde ad Reatinam translatus, & demum Æmiliæ Provinciæ Legatus à Latere Summi Pontificis Clementis Decimi, cui erat Sobrinus: Romæ anno 1676. ſupremo fine quievit.

Philippus de Montibus de Civitate Firmi ex Epiſcopatu Aprutino ob dimiſſionem Gabriellii Aſculano præficitur anno MDCLXX. ubi Diœceſim viſitavit, Synodum coegit Epiſcopatus bona adaugere curavit: obiit Aſculi, die 24. Decembris MDCLXXX.

Joſeph Saluſtius Fadulfus Interamnenſis, qui utriuſque Signaturæ Referendarius, & plurium Urbium Eccleſiaſticæ ditionis, nempe Aſſiſii, Tuderti, Septempedæ, vulgo Sancti Severini, & Arimini Gubernator, ſub Clemente X. & Innocentio XI. ab iſto tandem Amerinæ Eccleſiæ creatus Antiſtes anno MDCLXXIX. die 22. Novembris, exinde ab eodē Pontifice in Aſculanum Epiſcopatū translatus in Conciſtorio diei 11. Janu. anni MDCLXXXV. tota viſitata Diœceſi, & Synodo celebrata, & Sacro corpore Sancti Benedicti Martyris ſocii Sancti Præ-

ſulis

ſulis Emigdii ex Eccleſia Sanĉti Petri in Caſtello in Cathedralem, univerſo Clero Civitatis, & Diœceſis procedente, ſolemni Pompa collato die 12. Septembris MDCLXXXVIII. modo ſub felici auſpicatiſſimoque regimine Summi Optimique Pontificis ALEXANDRI VIII. Deo, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ ſatagit famulari.





